



1. De iure principis Evangelici circa solennia
sepulturæ. Pr. Chr. Thomafio. R. N. P. Frieda.
2. De jurisdictione Patrimoniali. Pr. S. E. ab Oppel
R. I. H. à Mandelsloh.
3. De sepultura et Sepulchris. Pr. C. M. Bohn. F. F. Luther.
4. Accidentium in foudis nullam esse successione. Pr. I. Beyer. R. C. de Nostitz.
5. De successione privilegio fiscalis. Pr. J. H. Berger.
R. I. C. Löffnerus.
6. De injuria Scholarium. Pr. I. G. Fleck. R. G. Purgold.
7. De iure columbarum. R. P. Müller. R. I. F. Boenigk.
8. Utrum fratres instituta querela in officio: trespam,
probare seneantur non facilius in gra. sol.
Pr. M. A. Tribner. R. I. F. Schleußel.
9. De seminarum in foudis successione. R. C.
Synacker. R. C. ab Hagen.
10. Diatagma bideora, sive Ordinum legi que se faro
et pontificio concinnata, et in illi grati Julia ad disputan-
dum publica proposito ab H. Hahnio. R.
11. De condicione indebiti contra rem judicatam.
Pr. I. G. Hartung. R. I. H. Euchendorff.
12. De iure ludendi. Pr. S. E. Wodekind. R. I. F. Fischer.
13. De pari foudorum et officiorum publicorum natura
definitione ac devisione. R. C. A. Beck. R. E. M. Weßphal.
14. De iure legitimandi omium latinarum in terris Finni-
jana Imperii. R. M. H. Tribner. R. I. S. Schilling.

15. De possessione Universitatis et quomodo ab
eadem possidatur. R. C. H. Horn. & E. F. Mauer.
16. De incommodeis quibusdam in concursum credito-
rum in foro Saxon. R. G. Beyer. R. S. G. Manick.
17. Juridicæ privilegiorum ordinis militari ex iure
Romano competentium. R. I. H. Berger. R. J. H. Hartung.
18. De jure pectoratus in territorio alieno. J. C.
Seifer.
19. De eo quod iustum est circa commendatio-
rem. C. A. Beck. R. A. C. Lübbe.
20. De maturanda Domini probatione per apuca-
pionem. R. I. H. Berger. R. G. H. Voelkel.
21. De selectione fiduciommissorum capitibus.
R. I. H. Berger. R. C. H. Berger.
22. De præsumptione pro olero. R. J. W. Engelbrocht.
23. De iurata specificatione. R. C. F. Schröter. R. L. C. Pittor.
24. De eo quod iustum est circa dolum bonum.
R. J. C. Winter. R. B. V. Stierer.
25. De usupraet. Inf. tit. quibz mod. ius patr. pol. solvif.
R. Thomasio. R. J. Luis.
26. De executione subfidiiali. C. F. Karodroneker.
27. De curia Dominicali. R. J. H. Dideroff. R. J. Schiltz
& P. J. Rekm.
28. De eo quod iustum est circa inquisitionem in autorem
rikæ si de occipione non constat. R. H. Bueij.
R. C. E. Noorder.

29. De jure origine cœmeterium h. v. Böh-
mor. p. I. P. Fortschrius.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN·FRIDERICO AVGVSTO
PRINCIPE REGIO, ELECT. ET PROVINCiarVM SAXONI-
CARVM HEREDE, ETC. ETC.

**VINDICIAS
PRIVILEGIORVM
ORDINI MILITARI
EX JVRE ROMANO
COMPETENTIVM,**

SVB PRAESIDIO

IO. HENRICI BERGERI,
SERENISS. AC POTENTISS. REG. POL. AC ELECT. SAX. IN SVMMO
PROVOCAT. SENATV CONSILARII, ATQVE ORDINARII
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI, ETC.

*PRAECEPTORIS SVI ATQVE PATRONI, AETATEM
SVBMISSÆ COLENDI,*

**PRO LICENTIA
GRADVM DOCTORIS IN VTROQVE
JVRE CAPESSENDI**

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,^{17.}
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGUSTO
PRINCIPE REGIO, ELECT. ET PROVINCiarVM SAXONI-
CARVM HEREDE, ETC. ETC.

**VINDICIAS
PRIVILEGIORVM
ORDINI MILITARI
EX JVRE ROMANO
COMPETENTIVM,**

SVB PRAESIDIO

IO. HENRICI BERGERI,
SERENISS. AC POTENTISS. REG. POL. AC ELECT. SAX. IN SVMMO
PROVOCAT. SENATV CONSILIARII, ATQVE ORDINARII
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI, ETC.

*PRAECEPTORIS SVI ATQVE PATRONI AETATEM
SVMISSE COLENDI,*


**PRO LICENTIA
GRADVM DOCTORIS IN VTROQVE
JVRE CAPESSENDI**
PVBLICAE ET SOLEMNI DISCEPTATIONI SBUMMITIT
AVCTOR

IO. GODOFREDVS HARTVNGIVS,
CONSIST. ECCLES. VITEMB. ADVOCATVS.
AD DIEM XXVII. M. MART. A. R. S. MDCC XI.

VITEMBERGAE Prelo KREVSIGIANO.



11
DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI
ELEGATE MAGISTRE
MANUAL DOCIMENTARIUM
CONCEPTERE MANUAL
CONCEPTERE MANUAL
CONCEPTERE MANUAL



PARS GENERALIS
DE
PRIVILEGIIS MILITARIBVS
ET VSV EORVM HODIERNO
IN GENERE.

§. I.



Ogitantes, de quo iuris argumento nostram Inauguralem conscriberemus, *Argumentum sum Dis-* praesens Patriae status, quae belli et *fertatio-* armorum strepitu circumsonat, ad mi- *nis.* litiam deduxit. Neque uero animum induximus de arte tractandi arma gerendique bellum, quæ usu potius et exercitatione, quam scriptis et praecep- ptis addiscitur, aut de arcanis Reipublicae Militaris agere, ne nobis multo magis obuertatur, quod LIPSIVS, Politicorum suo tempore princeps, sibi ipse ex ore TVLLII obiecit, cum in libris, quos de ciuili prudentia scripsit, ad militari- rem prudentiam peruenisset: *Tunc haec audebis homo umbratus, qui serio nunquam hostem, nunquam castra uideris, nunquam denique partem ullius bellici muneris attigeris?* sed intra limi- tes Iurisprudentiae Civilis subsistentes non indignum inau- gurali dissertatione argumentum existimauimus, priuilegia, quae Iure Romano Ordini Militari tributa sunt, eorundemque in primis usum et ualorem hodiernum inuestigare, et ab argumentis dissentientium vindicare.

§. II. Quod quidem sic optime fieri posse putauimus, *Ordo.* si primum generatim de Priuilegiis Militaribus ageremus, ge- neratimque dispiceremus, an et quatenus hodie ad nostra- tes milites applicari possint: tum uero speciatim ad singu- la descenderemus, et uniuersum Ius Ciuale eo, quo maxime naturali cohaeret ordine, percurrentes suo loco in cuiusque

A;

cum

cum naturam, tum usum hodiernum pro instituti ratione in-
Excusatio quireremus. Cum autem constitutum sit, non ingentem com-
brenitatis. mentarium de Iuribus et Priuilegiis Militum, sed dissertatio-
nem conscribere, id prius modeste deprecamur, ne quis o-
mnia, quae pro argumenti dignitate, et grauitate, et ampli-
tudine dici poterant, in his angustis quaerat pagellis, maxi-
me, cum non tam ipsa Iura et Priuilegia ex Iure Romano
explicare, quam usum eorum hodiernum, et quid ponde-
ris nostro aevo habere soleant aut debeant, exponere atque
defendere apud animum constituimus.

*I. Genera-
lia de Pr.
Mil. ex I.
Rom.*

§. III. Generatim de Priuilegiis Militum alia ex Iure
Romano, alia ex usu hodierno monenda habemus. Illa par-
tim ad uerba ipsa et singula; partim ad sensum verborum
coniunctum pertinent.

*De uoca-
bulo pri-
uilegii.*

§. IV. Quod ad uerba ipsa, uocabulum Priuilegii ex
bulo pri-
uilegia et lege est compositum. Priua ueteres dixere, quae nos
singula dicimus, monente GELLIO, diligenti uerborum scruta-
tore, in Noȝ. Attic. Lib. X. c. 20. Vnde quidam magni no-
minis ICTi priuilegium accipiunt generatim, et interpretan-
tur de omni lege, quae de singulis aut personis aut causis pree-
cipiat, siue in fauorem earum, siue minus. Evidem si non
tam potestatem uocabuli priuilegii, quid significare ui
compositionis possit, et ut GELLIVS loquitur, quae priuilegia potius
quam leges uocari debeant, quam usum ipsum respiciamus,
et quo significatu vox priuilegii in iure Romano pos-
tum reperiatur, uidetur dicendum, priuilegia esse, quae in
fauorem singulorum constituta sint, quia uix ex toto iure
locus afferri potest, in quo vox priuilegii aliter, quam in
sensu favorabili ei, cui irrogatum est, usurpatum sit. Vnde
BRISSONIVS quarto decimo de uerborum significatione libro pri-
uilegium describit per ius singulare, in certae personae uel cau-
sae gratiam fauoremque constitutum. Sed quod in legibus Ro-
manis et apud ICTos in Corpus Iustinianum relatos depre-
hendere mihi hucusque non licuit, id licuit apud CICE-
RO-

RONEM, summum et ICTUM et Oratorem, qui in Oratione, quam pro domo sua ad Pontifices habuit, quo iure, inquit, quo more, quo exemplo legem nominatim de capite civis indemnati tulisti? Vtant leges sacratae, uerant XII. tabulae, leges priuatis hominibus irrogari, ID EST ENIM PRIVILEGIUM. Et in paradoxo, quod inscribitur omnes flultos insanire, ait: familiarissimus tuus de te (petit P. Clodium) privilegium tulit, ut si in opertum Bonae Deae accessisses, exulares: at te id fecisse etiam gloriari soles. quomodo igitur tot legibus in exilium electus nomen exulus non perborrescet? Quare autem haec privilegii significatio ei, cui irrogatum est, minus fauorabilis, in iure Romano, quod hodie habemus, Iustiniani auspiciis compilatum, non occurrat, ratio in eo posita uidetur, quod Pandectæ ex scriptis eorum potissimum ICTORUM, qui sub Imperatoribus uixerunt, in primis inde a temporibus Antoninorum usque ad Gordianum, sub quo oracula cum Modestino obmutuerunt, compilatae sunt; Codex uero ex constitutionibus Imperatorum, sub quorum imperio ueteres legum, cum generalium, tum priuarum in comitiis centuriatis rotationes et nominationis diuersitas cessabant, et lex erat et vocabatur, quod Principi placuisset.

§. V. Miles, utrum a militia, id est, duritia, quam pro nobis sustinent, an a multitudine, an a malo, quod arcere milites solent, an a numero millenario, an aliunde dicatur, tis. non audet definire VLPIANVS in l. 1. §. ult. D. de testam. Etymolog. mil. nec nos in eo occupabimur. Nam hodie fere Grammatici a militia Themidis arcentur, quasi sint infra censum. Sed nobis satius uidetur diuisa illorum classe primam tertiam admittere. Dicuntur quoque milites militantes in l. 24. de Synonymo testam mil l. ult. C. de iniur. et alibi cincti, l. 3. si pars hemia. red. pet. (nisi malis cum CVIACIO ad l. 43. n. de testam. mil. in Op. Posthum. Tom. I. ad Respons. Papin. p. 260. et D. GOTHOFR. in not. ad d. l. 3. Cincios legere, deleto uerbo Horatios) l. 25. i. l. 38. de testam. mil. a cingulo, insigni militari,

quod in l. 31. C. de locat. cingulum militare, et in Cod. Theod.
 l. 18. de palatin. sacrar. largit. et rer. priuat. cingulum militiae,
 Graecis *zav* appellatur, et sic erat comparatum, ut dextro
 humero impositum oblique ante pectus et post tergum ad
 sinistrum latus descenderet, cui in imo ensis alligabatur,
 quod parazonium vocabatur, describente et se tale uidisse
 Gothifridi, unius ex martyribus Legionis Thebaidis, refe-
 rente PANCIROLLO in Thesauro Lib. I. C. II. item, qui sunt
 in numeris, l. 38. §. 1. de testam. mil. de quibus mox plura: et
 in Cod. Tb. militares, l. 20. et seqq. de erogat. milit. ann. et per-
 sonae militares, l. 2. d. exhib. reis. item militaris ordinis viri,
 l. 6. de suscept. et militaris corporis viri, l. 2. de comit. rei mil.
 Porro uocabulum *militis* et *militiae* et *militare* I. Ciuiili sae-
 pe applicatum legitur ad Aduocatos et Doctores, et omnes,
 qui publicis iisque insignioribus muneribus, in primis in au-
 la Principis funguntur. Vid. l. 14. C. de aduoc. diu. ind. et tot. tit.
 C. de prox. sacror. scrin. et tit. de agent. in reb. L. 12. unde mi-
 litia togata, quam LVCANVS uocat in Panegyrico Pisonis, et
 CICERO in oratione pro Muraena urbanam militiam respon-
 dendi, cauendi, scribendi appellavit: militia literata in l. 8.
 C. d. t. d. prox. sacror. et militare in palatio, l. 10. C. de diuers. off. L. 12. et militia Palatina in Cod. Tb. l. 19. de divers. off. et
 apparit. conceptis uerbis militiae Militari, quae et militia ar-
 mata in eod. C. Tb. l. 5. et 6. de re milit. et alibi passim, nec non
 in Cod. Iustin. l. 6. et 18. de re iud. et militia sub armis l. 38. de
 decur. appellatur, opposita, Iure Canonico saepe ad Cleri-
 cos transfertur. Vid. can. 8. dist. 10. et can. 5. dist. 50. et cap. 3.
 dist. 77. et can. 19. caus. 23. qu. 8. et I. Feudali denotat uasallum,
 ut I. F. 21. 22. 23. II. F. 17. et multis aliis locis, a seruitiis scili-
 cet militaribus, quorum causa primitus feuda concessa sunt,
 et quae hodie etiam regulariter praestari debent. Vid. Magnif.
 D. HORNIVS in Iurisprud. Feud. c. 5. §. 19. et c. 18. §. 5. Mili-
 tibus opponuntur pagani in l. 14. i. l. 13. item l. 17. §. 2. de test.
 mil. l. 19. §. 2. de castren. pec. et alibi, sic dicti a pagis, id est
 tribu-

Oppositum

tribubus, seu regionibus, quod domi remanebant, aliis in militiam proficentibus, unde sine cingulo constituti dicuntur in l. ult. C. d. iniuriis, item priuati et barbari in l. 5. C. ad L. Iul. Mai. et in Cod. Ib. l. 2. de falsa moneta. l. un. de off. iud. mil. l. 5. de testam. l. 2. de terr. limit. l. 3. de immunit. concess. Quibus locis per priuatos intelligendos omnes non militantes, et per barbaros, exterros, ex gentibus Scythicis aliisque tunc temporis in orbem Romanum, speciatimque Orientalem, passim immixtos, siue priuatam uitam degentes, siue stipendia facientes sub signis Romanis, uel etiam ciuilibus honoribus fungentes, bene exposuit I. GOTHOFREDVS in discurs. bistor. ad d. l. 5. c. 10. quod est inter opuscula ipsius primum.

§. VI. Sed et de uerbis, quae singula considerauimus, De uerbo nonnulla in sensu coniuncto explorata habere debemus, rum, Pri antequam cum aduersariis descendamus in pugnam, ne lo uilegiorum cum insidiis relinquamus. Priuilegia, quae Iure Romano militarii, ordini militari tributa sunt, alia competit militibus, qui sensu con stipendia merent, alia emeritis seu ueteranis. De illis fere agi solet ad Tit. d. re milit. de his ad Tit. de ueteranis. Veteranos esse, o II^o CVIACIVS Op. Prior. Tom. I. p. 902. ait, qui militia honeste dimitti et sacramento soluti sunt. Non meminit, ut alii communiter, temporis uiginti annorum, ex lege ult. C. de his qui non implet. sibi. et aliis, quia etiam, qui ante ex causa missi erant, quae cauflaria missio, a ROSINO Antiqu. Rom. L. 10. c. 30. necessaria appellatur, honeste erant missi et ueterani, priuilegiisque emeritorum, licet non omnibus, fruebantur, u. l. 2. d. t. et a pedite uiginti stipendia, ab equite uero decem solum explenda fuisse, ex POLYBIO et aliis constat. Sed et in peditibus tempus uariasse, obseruauit BRISSONIVS sel. ex iur. Civ. Antiqu. l. 2. c. 6. Sacramenti autem meminit, quia eo semper solui solebat miles dimittendus, nec prius desinebat quis miles esse quam hoc erat solutus. Sed et hoc praecauere debemus, ne quis cum ueteranis confundat uete rina.

rinarios, qui commemorantur in l. ult. d. iur. immun. et non ad milites, sed ad militiae et exercitus artifices pertinent, et ipsi quoque certis priuilegiis fruebantur. Vid. GOTHOFREDVS ad. d. l.

De militum re-
quisitis.
Probatur
Primum
l. 2. §. 3. de bis qui not. infam. l. n. de test. mil. l. 14. de bis quae ut indign. l. n. ad L. lvt. de adult. l. 2. de ueter. l. 1. C. d.

Secundum excus. ueter. et aliis. Alterum apparet ex l. 25. et l. 38. §. 1. de test. mil. sed dubium facit l. 43 cod. quae de eo loquitur, qui iussus est cingi, et ait, posse de peculio castrensi testari. An ergo iussum accipiemus cum effectu? an ira interpretabimur, ut cingendus habeatur pro cincto, quod TIRAVQVELLVIS fecit, et cum eo BRVNNEMANNVS in Comment. ad d. l. et alii, nec ipse CVIACIVS improbare uidetur, loco, quem supra laudauimus, licet uocem confessim praeponen- dam censeat, et legendum: confessim atque cingi iussus est, quia in fine addit, nisi si cinctus est, uel nisi cingi iussus est. Sed magis est, ut priorem sententiam amplectamur, quam et cum VIGLIO tenet GVDELINVS de Iure Noviss. l. 5. c. 21. quia tum demum, qui militiae nomen dederant, in numeros referebantur, postquam cincti erant: ex eo autem tempore demum aliquem iure militari testari posse, ex quo in numeros relatus est, expressis uerbis in l. prae. 4. constitutum legitur. Atque haec ipsa lex est, ex qua tertium de numeris manifeſte probatur. Nam quae obſtare uidetur l. un. §. ult. d. bon. poſſ. ex test. mil. aliquid singulare de translatione ex numeris in numeros continent.

Explicatur Requisi-
zum
l. 2. §. 4. de tribunos militum

§. VIII. Scilicet olim apud Romanos regulariter, et nisi tumultus, quem uocant, erat, consules creati, primum soli, deinde cum populo, postea mixtim, Vid. CANTELIUS de Republ. Rom. P. I. Diff. 6. c. 4. n. 4. statio die tribunos militum

tum constituebant, cum equestres, qui et iuniores a numero stipendiorum vocabantur, quatuordecim, ex equitibus, qui quina stipendia confecerant, tum decem plebeios seniores ex plebe, qui dena stipendia expleuerant, Vid. LIPSIVS de milit. Rom. L. 1. Dial. 2. et L. 2. Dial. 9. Hi ipsi autem tribuni praedicti a consilibus die in Capitolio uel campo Martio centuriatis comitiis ex omni multitudine Romana, cui aetas militaris erat, sub auspiciis consulum eligebant ad militiam eo ordine ac modo, quem describit POLYBIVS in parte prima Historiae Facis, et xara zōða explicat LIPSIVS laudato Libro 1. Dial. 3. et 5. et post eum compendiose repetit CANTELIVS de Republ. Rom. Part. I. Diff. 6. C. 1. Post electi ad *Primuns* militiam sacramento militiae de obsequio Imperatoribus praestando a tribunis militum obstringebantur, praeiurante uno, quem tribuni militum suae cuiusque legionis maxime idoneum elegissent, reliquis in primi uerba sigillatim iurantibus, se idem obseruatus, dicendo, ut FESTIVS explicat apud LIPSIVM, *idem in me*, quamvis nec de formulis satis constet, quae diuersae apud scriptores Rei Romanae reperiuntur, nec de eo, an statim post reges exactos id factum fuerit, an multo post, tempore belli Punici II. L. Flacco et C. Varrone Coss. propter locum LIVII lib. 22. quem cum alio in lib. 3. et aliis apud POLYBIVM et DIONYSIVM conciliari posse desperat LIPSIVS in sexta Dial. Libri 1. Addatur ROSINVS Antiquit. Rom. L. 10. C. 3. BRISSONIVS sel. ex iur. Ciui. Antiquit. L. 2. c. 6. et de form. et sol. verb. P. R. L. 4 pr. p. 337. et seqq. CANTELIVS dicto loco, c. 2. pr. ubi socios Romanorum ab auxiliis, quae exteri Reges mittere solebant, in eo distinguit, quod socii, sicut ciues Romani, sacramentum militare omitterent, auxilia non item. Tum uero *Secundum* adacti iureiurando cingebantur, nec prius ad operas militares admittebantur, nec postea quisquam discinctus stare miles, uel opus facere, aut subire uallum poterat, nisi si quem id poenae uel ignominiae caussa facere oportebat.

tebat. Conf. BRISSONIUS sel. ex I. C. A. L. II. c. 7. De
 nique referebantur in numeros. Per numeros autem signifi-
 catur uel catalogus militum, quae et matricula vocatur a po-
 sterioribus Imperatoribus, l. 16. C. d. test. mil. l. 3. C. de agent.
 in. reb. lib. 12. l. 10. de cobortal. lib. eod. et alibi. Quo sensu
 PLINIUS scribit l. 3. Ep. 8. ad Suetonium, tribunatum, quem
 ipsi impetrasset, posse in Siluanum transferri, quia nondum
 nomen ipsius in numeros relatum esset: uel ipsi ordines milita-
 res, puta centuriae, cohortes, manipuli, legiones, turmae,
 decuriae, quo sensu dicuntur milites numeris et signis suis in-
 giter inhaerentes in l. 31. §. ult. C. de locat. et ULPIANUS in
 l. 2. §. 1. de bis qui not. infam. ait: exercitum non unam cobortem,
 neque unam alam dicimus, sed numeros multos militum: et
 TACITUS in Agric. C. 18. sparsos per prouinciam numeros, et
 SUETONIUS in Vespas. c. 6. reuocatos ad officium numeros
 memorat. Unde dubium fit, quomodo accipiendum sit, quod
 in supra allegata lege 42. de test. mil. dicitur, ex eo tempore
 aliquem iure militari incipere posse testari, ex quo in nume-
 ros relatus est: an sufficiat in catalogum relatum esse? an uero
 requiratur, ut quis actu in ordines cooptatus sit? magis
 est ut dicamus, in ordines cooptatum esse oportere, quia
 miles nondum est, qui nondum in cohorte, in turma militat,
 sed miles designatus, et in turma, in cohorte futurus: non
 autem militum testamenta (quae scilicet ante fecerunt) sed
 a militibus facta, iure priuilegiario ualent, nisi, quae est ex-
 ceptio a regula in l. un. §. ult. d. bon. poss. ex test. mil. aliquis
 ex numeris in alios numeros transferatur, id est, ex una co-
 horte, turma, legione eximatur, et mittatur ad aliam, qui an-
 tequam ad nouos numeros peruenit, miles esse, et iure mi-
 litari testari posse dicitur, quia scilicet iam semel actu mili-
 tauit: plane ut in l. 38. §. 1. de test. mil. testamentum quasi ex
 coniuncto munere militiae sustineri dicitur, quod a milite
 factum sit, qui post annum missio[n]is noua militia cinctus sit,
 nec moriturus significauerit, uelle se testamentum suum iure
 mili-

militari valere. Conf. I. 9. C. Th. de desert. in qua *victoribus* ~~et~~
quibus sociatis oppositi *literarum* initiati *auspicio* leguntur.
 Haec cum iam scripsimus, incidimus in BOCERI librum de
Bello et Duello, et deprehendimus l. 1. c. 11. n. 3. et c. 12. n. 2. et 3.
 nobiscum consentientem, licet non iisdem plane argumen-
 tis. Egregius hic uir est, et nobis bonis auibus innotuit, hunc
 in societatem et foedus recipimus.

§. IX. Restat de generalibus monere, quanquam sub *Conclusio:*
 Imperatoribus ratio rei militaris quodammodo immutata, et
 milites plusquam uno sacramento constricti fuerint: uid.
 DEMPSTERUS ad Rosnum p. m. 759. tamen necessitatem il-
 lorum trium requisitorum, de quibus diximus, sacramenti,
 cinguli et numerorum, mansisse. Vnde PLINIVS in Ep. 38.
 L. 10. Traianum consulit de modo poenae duorum seruo-
 rum, qui se milites conscribi passierant, (cum id iure fieri
 non posset, uid. l. 11. de re milit.) de quo ipse ideo dubitet,
 quod sacramentum dixissent, sed in numeros nondum re-
 lati essent.

§. X. Haec leuiora: iam magis ardua. Pugnandum est II. Genera
 cum aduersariis, qui militibus nostis iura sua et pritilegia, *lis de Vs.*
 quae à Romanis ad ipsos cum iure Ciuali transierunt, eripere
 conati sunt. Iam Fetialis denunciauit, nisi restituerint, bellum
 habituros, et quia renuunt, missa hasta est. Non est res
 futura cum Priscis Latinis, vel Aequis, sed cum Gallis. Nam
 duces habent MORNACIVM, AVTVMNV, BVGNONIVM.
 Ergo ad arma, qui ferre potest, non est aeratis exceptio-
 ni, non dignitatis, non ulli vacationi locus. Socios habent
 Batauos, in primisque GROENEVVEGENIVM. Mirum,
 Batauos cum Gallis foedus iniisse. Sed et Germanos iunctos
 habere dicuntur. Ergo bellum Civile futurum est? intel-
 ligere, magis tumultus quam bellum futurum est. Ergo si
 non omnia optime facta apparuerint, excusationem habe-
 bit festinatio.

§. XI. Sed quicquid tandem sit, nec copiae nobis, nec *Afferit up*
 B 2 *arma*

generatim arma desunt, nec animus defuturus est, si terror Panicus ab-
 usus] Ho-
 diernus(i) fuerit. Nam si numero Doctorum atque auctoritate agenda
 Autorita-
 te DD.
 res foret, eorum integras legiones producere possemus, qua-
 rum iam aliquot a TRENTACINQVIO Var. Ref. L. 2. Ref. i.
 n. 49. aliae a BOCERO collectae sunt L. 1. de Bello et Duelle
 C. 28. n. 8. totamque facile instruere aciem. In fronte collo-
 caremus Hastatos, qui longissime a nostris temporibus ab-
 sunt, BARTOLVM et BALDVM, CYNVM, ALEXAN-
 DRVM, ROMANVM, SOCINOS, RIPAM, BERTRAN-
 DVM, ANGELVM, PAVLVM DE CASTRO, et alios: in
 medio Principes, qui inter aeum illorum et recautorum
 interiecti sunt, ALCIATVM, CVIACIVM, FABRVM, VIGLI-
 VM, VASQVIVM, ZASIVM, WESENBECIVM cum ipso
 HAHNIO, SICHARDVM, SCHNEIDEWINVM, MYNSIN-
 GERVM, GAILIVM, ZOESIVM, et alios: Tum Triarios,
 seu recentiores, aut qui maior in industria et ex instituto usum
 hodiernum priuilegiorum militarium exquisuerunt atque
 asseruerunt, in quibus maximum robur positum esset, et
 spes certa uictoriae, TRENTACINQVIVM, VAVDVM,
 CARPZOVIVM, GVDELINVM, REGNERVM, BRVN-
 NEMANNVM, STRYKIVM, ENGELBRECHTVM et alios,
 inter eosque Primi pili loco IOACH. HOPPIVM, Principes-
 que inter et Triarios Imperatorem DECIVM. Miraris, cur
 DECIVM? Habet laeta auspicia et bonum omen in nomine.
 P. DECIVM Consulem Romanum LIVIVS memoriae pro-
 didit Libro VIII. inclinatis rebus Romanorum, cum contra La-
 tinos et Campanos haut procul radicibus Vesuvii montis pu-
 gnarent, se pro exercitu deuouisse, et concitato equo cum
 se in medios hostes immisisset, interfectum uictoram Ro-
 manis restituisse. Noster non cederet animo et uirtute iu-
 uandi causam nostram. Docet enim non solum ipse in
 Commentario ad CODICEM tit. de test. mil. si ueros nostros
 milites, qui sub signis Imperatoris uel alterius Principis, qui
 ius belli gerendi habeant, militent, cincti, et sacramento
 ada-

adacti, ab illis, qui militum speciem gerant, sed dominos non habeant, perugantes pagos et militantes, quod BALDVS dixit, sicut catulus in syluis, distinguamus, nostris militibus priuilegia militaria, quae Iure Romano contineantur, denegari non posse: sed et Doctores, qui partes aduersas teneat, uideantur, in eam sententiam accipiendos esse tradit. O uirum praeclarum! hoc si uerum est, quantae nobis copiae futurae essent? et quis numeris resisteret nostris? Huic daremus ab utroque latere Legatum: ab altero BOGERVM nostrum, qui in *Tr. de B. et D. L. i. c. 28.* distinctionem DECII et sententiam conceptis uerbis probat: ab altero B. ZIEGLERVM, qui in ea, quam de priuilegiis militum habuit, Dissertatione sub finem paucis, sed concinne et grauiter pro summi Viri auctoritate, eorum sententiam praeferat, qui eadem nostris militibus priuilegia tribuant, quia eandem caussam et easdem belli molestias uel grauiores sustineant. Sed et socios accersere possemus ex Canonistis, quos ad utrumque latus nostrarum legionum collocaremus: et milites leuis armaturae forent omnes illi, qui scriptis suis non strictim priuilegia militum propugnant, sed asserendo generalē iuris Romani usum in Germania, uimque subsidiariam, negotium facessint aduersariis nostris, et pugnae praeludunt. Imo si opus foret, etiam extraordinarie copiae nobis ad futurae essent bene multae. Moveremus uniuersum ordinem eorum, qui in caassis forensibus patrocinantur, quorum sane numerus, etiam deductis proletariis et capite censis, non minimus futurus esset. Nam interesse uidetur eorum, priuilegia militum sarta et testa conseruari, quo et ipsi illis frui possint, qui et ipsi milites sint. Est matricula in lege 14. C. de aduocati. diu. iud. qua Imperatores Leo et Anthemius Aduocati, inquiunt, qui dirimunt ambigua fata caussarum, siueque defensionis uiribus in rebus saepe publicis ac priuatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus prouident humano generi, quam se praecius atque uulneribus patriam parentesque saluarent. Nec

*Aduocati
non gau.
dent Priu.
Milit.*

enim solos nostro Imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis et thoracibus miscuntur, sed etiam aduocatos. Militant namque cassarum Patroni, qui gloriose uocis confisi munimine laborantium spem uitam et posteros defendunt. Verum enim uero uenit in mentem recordari, quae acute ORATOR in illa pro Muraena contra Sulpitium: uigilas tu de nocte, ut tuis consularibus respondeas: ille (L. Muraena L. Luculli Imperatoris Legatus) ut eo, quo intendit, mature cum exercitu perueniat. Te gallorum; illum buccinarum cantus exfuscat. Tu actiones insitius: ille aciem insituit. Tu caues, ne tui consulatores; ille ne urbes uel castra capiantur. Ille tenet et seit, ut hostium copiae; tu ut aquae pluviae arceantur. Ille exercitatus est in propagandis finibus: tu in regendis. Itaque ergo agnoscimus, hos quidem rectius nos facturos, si suo loco relinqueremus, nec in aciem produceremus, quia carent sagis, nec iure postulare possent, ut parta uictoria fruerentur.

(2) Argu-
mentis.

I. Nostris.
(a) opposi-
tis Differ-
entientium
argumen-
tis.

**Duob9 ge-
neralibus.**
ALTERO
apraefan-
tia rei mi-
litaris,
quod Pri-

uilegiis
maxime
digna sit
militia,
propter
Antiqui-
tatem.

§. XII. Enim uero magis confidimus armis et telis nostris, id est, rationum momentis, quam numero pugnantium, seu soli Doctorum auctoritati. Nam et arma nobis et tela sunt. Armis adversariorum impetus excipimus atque retundimus: telis nos illos impetimus. Inter arma sunt clypeus & scutum. Clypeus rotundus est: scutum quadratum. Clypeus non ex ligno vel corio est, sed ex solidis metallis conformatus. Ferrum dedit antiquitas rei militaris: chalybem virtus: cuprum utilitas: stannum necessitas: aurum splendor et dignitas: argentum candor atque fides: plumbum molestiae, quas uita militaris habet. Intelligis, qui clypeus sit? an dubitas, haec firmiter posse cohaerere? considerabimus proprius, et uidebimus, quod cohaereant.

§. XIII. Antiquissimam esse rem publicam militarem, nemone facile negauerit, et ex nostris Politicis fatetur par Lipsio REINHARDVS in Theatro Prudent. Elega. ad Lips. Polit. L. 5. C. 7. §. 8. Atque haud satis scio, an non huc respexerint, qui Martem sine patre natum dixerunt, quod tanquam ab- sur-

surdum et portento simile reiecit NATALIS COMES My-
 tbo. L. 2. c. 7. Fortitudo autem militum propria est. Vnde *viri Virtutem*
 fortes in Cod. Th. l. 12. de veterani. l. 28. de cohortal. et milites
 fortissimi l. 4. et 5. d. militari ueste, appellantur, nec satis
 uim animi fortis intelligere, aut de ea loqui uel scribere
 posse uidetur, qui non idem aliquando in castris et inter ho-
 stium tela uersatus sit. Vnde, quod idem Vir literatissimus in
 laudato opere *ad Lips. C. I. L. 5.* ex Plutarchi apophthegmati-
 bus obseruauit, Cleomenes Rex audiens Sophistam quendam
 de fortitudine differentem, in cachinnos effusus est, et quae-
 renti quid cachinnaretur, dum de fortitudine dicentem au-
 diret, qui Rex esset, respondit, quia si de ea diceret hirun-
 do, idem faceret, si aquila, plane quiesceret. Utius autem re *Vilitatem*
 militari bene constituta quid esse potest? quid ad tuendos pari-
 terac propagandos imperii fines armis atq; exercitu accommo-
 datius? qua aliare, quod est apud LIVIVM *Libr. 1.* Romana Res-
 publ. ab exiguis profecta initio eo creuit, ut iam magnitudine la-
 borare tsua, quam studio et peritia rei militaris? ut iam late non
 exequamur, quod Hispánicus Politicus D. SAAVEDRA *Symb.*
LXXXIII. depicto in mari castro, quod fluctus undique uer-
 berant, expressit, uti idem castrum fluctibus percutiatur, et eo
 tutum contra hostes et nauium appulsum praestetur: sic ean-
 dem saepe rempublicam, quae armis et bellis exerceatur, inter
 fluctus bellicos et tumultus tutissimam esse, et maxime flore-
 re. Non ineleganter *tunc*, inquit, *cara uigilat: prouiden-*
tia accincta est gladio: gloria exstimulat animos: occasiones fortis-
tudinem augent: aemulatio ad maiora incendit: et periculum
commune sociat uoluntates, malisque reipublicae humores eu-
cuat. Dicamus potius de summa armorum et rei militaris *Necessita-*
 in republica necessitate, sed pauca dicamus, quia res ipsa tem-
 loquitur, et quae multis dici poterant, ORATOR contra-
 xit, quando in laudata oratione pro Muræna ait, *omnes ur-*
banas res, omnia præclara studia latere in tutela et præsidio
bellicae virtutis. Eundem de dignitate audiamus, quia *Dignitate*
me-

meliorem TVLLIO interpretem uix licet reperire , qui cum uiueret , in sago et toga omnibus rebus clarissimus atque amplissimus fuit . In eadem *rei militaris* , inquit , *virtus praefat cacteris omnibus* : et paulo inferius : *summa dignitas est in iis* , qui *militari laude antecellunt* ; *omnia enim* , quae sunt in imperio , et in statu civitatis , ab iis defendi et firmari putantur : *summa etiam utilitas* , *siquidem eorum consilio et periculo cum res publica* , tum etiam nostris rebus perfrui possumus . Addo , quod Viri Militares saepe et belli et pacis artes calleant , et sunt , ut Iulius quondam , ex utroque Caelares . Sane olim apud Romanos constat eosdem fuisse Duces et Imperatores in campo , qui Consules et Praetores in Vrbe . Imo aliquando legem fuisse , ne cui ciuium Romanorum liceret illum magistratum urbanum gerere , qui decem annos non militasset , refert ex POLYBIO et LIVIO GREGORIVS THOLOZANVS de Republica L. 4. c. 5. et laudat ac explicat LIPSIVS de milit. Rom. L. 1. Dial. 2. in fine . Nec praetereundum silentio , quod de maioribus nostris tradit CLVVERIVS in Germania Antiqua , lib. 1. c. 43. ipsam nobilitatis dignationem et omnes honorum muniorumque titulos ex nulla alia re , quam ex bellorum decoro , originem cepisse : et quod ex BEKA Chron. Episc. Traiect. refert Praeceptor nunc in dictione , SCHVRZFLEISCHIVS , in Dissert. Histor. Diff. LXXIX. §. 4. designatos Imperatores , priusquam Aquisgranum deducti et inaugurati sint , dignitate militis ornari consueisse . Sed nec fides et iustitia castris et militia exulat , et quod ex LVCANO iactari solet , de aliquibus , non de omnibus intelligendum est . Longum foret , quae in contrarium afferri possent , huc coacervare . Pleni sunt omnes libri , plena sapientum uoces , plena exemplorum uetus . Denique molestiae , quibus militia premitur , facilius contemni , quam perferri possunt . Grauter BOECLERVS in milite captivo , quae est inter Dissertationes ipsius Academicasteria et trigesima , p. 959. illud , inquit , consideratu dignum est , quod miles in onere totius civitatis sustineat partem maxime

Fidem

Molestias

xime arduam et duram. Si enim in ipsa militia urbanarum excubiarum labor hanc immerito levior censetur, quam eorum, quibus infestas apud gentes e contubernio hostis adspicitur: certe onus militibus pro tota ciuitate impositum non potest comparari cum eorum onere, qui interim pecunia alisque pacatoribus modis bellum juvant; partendique laboris publici aequalitatem supplerem quidem sed non aequis passibus contendunt.

§. XIV. Vides ergo clypei firmitatem. Habet formam rotundam. nullibi principium; nullibi finis: ubicunque multo maius adspiceris, recurrit in orbem. Sed et umberem habet, et gis Militia intus ansam, qua nos eum apprehendere, et nostros aduersarios repellere, atque tela ipsorum excipere possumus. Tantum enim abest, ut quam intelleximus, fortitudo, utilitas, necessitas, et alia nostrae militiae denegari possint uel debeat; ut etiam splendor antiquitatis per tot annorum lapsum auctus sit, et molestiae atque pericula, et cum his laus omnis et gloria, quam uel ex utilitate, uel dignitate, uel aliunde unquam militiae nomen habuit, mirum quantum creuerint, nec alio tempore magis illa fauorem et priuilegia meruisse uideatur.

§. XV. Sed et scutum nobis est oblongum, quo facili negotio, cum placet, nos totos obtegere possumus. Non ab usu est ex una tabula, nec ex duabus, sed ex quatuor compactum. auctorata tegenerati
Vnam desumsimus ex arbusto Legum Germanicarum: aliam ex Foro: tertiam maxima Doctorum pars in unum consentiens; li. I. Rom.
quartam utilitas publica suppeditauit. Non potest adeo obscurum esse, quodnam hoc scutum sit: Sed addenda tamen lux est, ne Andabatarum more pugnemus. Afferre autem lucem unde malimus, quam ex scriptis Magistri, Viri Magnifici, Dn. Dr. BERGERI, quem eundem nobis Praefidem fortuna dedit? Hic celeberrimus in toga Heros in Tr. de usu actionum, part. poster. §. 9. et seqq. fortiter propugnat doctrinam de generali usu iuris Romani in Germania, in quan-

tum iuri Patrio non aduersetur, et ad statum hodiernum com-
mode possit applicari. Nititur in primis praesidio legum, et
quae reuera subest, caussa publicae utilitatis. Leges ipsas, quae
ex Recessibus Imperii depromptae sunt, et satis declarant,
sive expresse sive tacite dixeris, Germanici Legislatoris uol-
luntatem de seruando in subsidium Romano iure, non hoc
transferemus, ne agamus actum: nec de utilitate publica
multum, quia satis constat, nihil perniciosius esse reipublicae,
et quod magis ad iniustitiam uiam pandat, quam si nullo aut
incerto iure utatur quod exemplo Castiliae diligentissimus
rerum Hispanicarum scriptor, IO. MARIANA *Libro VIII.*
confirmat. Illud autem haut difficulter existimari potest, si non
amplius ualere ius Romanum debeat, quam receptum pro-
batur, multa uel pleraque in incerto fore et iudicantium re-
ligioni relicta, quae uix scriptis legibus et certis in recto tra-
mite contineri potest. Hoc addimus, non solum maximam
partem interpretum pro illa sententia militare, et cui non
leuis uis inesse uidetur, communem opinionem castra tue-
ri: sed et ipsum Usulum Forensem, qui instar tyranni domi-
natur, foedere iunctum esse, et ad opem ferendam atque sup-
petias paratum. Nam quod Ius Romanum non semper in
actum, quod aiunt, secundum perducitur, plerumque non
alia caussa est, quam aut ignorantia, aut oscitantia, uel timi-
ditas eorum, qui caussarum patrocinium sustinent, non ur-
gentium et petentium, quod poterant, sed uulgari uia et tri-
ta procedentium. Vnde fit, ut quod infrequens est, pro non
recepto aut uicissim rejecto habeatur. Hanc ergo sententiam,
quod Ius Romanum toties locum habere possit et debeat,
quoties nec iure domestico contrario, nec singulari Reipu-
blicae nostrae ratione reprimatur: Haec sententia, quae et
publica utilitate commendata, et plurimorum Doctorum,
maximorumque iuris Antistitutum calculis approbata, et ipso
usu forensi corroborata atque confirmata est, haec, inquam,
sententia nobis pro scuto est, sub quo latitare possumus ut
apud

apud HOMERVVM Ajax (si parua licet componere magnis)
sub scuto Achillis, quoties de lege dimicandum, cui per na-
turam ipsius, et nostrae reipublicae, et iuris Patrii rationes
locus esse possit, sed ab aduersariis denegetur, quasi non sit
recepta.

§. XVI. Sed et telis instructi sumus, quibus ipsi aduer- (3 Propo-
farios impetrare possumus, aliis cominus, aliis eminus. comi-
nus gladiis: eminus iaculis. Quae cuiusque uis sit, mox con-
stabit. Id iam unum memoramus, esse inter illa unum ma-
xime nouitatis specie conspicuum, quod ueteribus uisum ^{tisque ua-}
non est, nec prius quam nostris temporibus fabricari potuit. ^{riis: quo-}
Quaeris quodnam sit? materiam iam supra indicauimus, for-
rum de re-
mam nunc accipe. Notum est inuento puluere nitrato, et liquoris mox,
bombardis tormentisque uariis, ut uix genera nominari, ne- ^{ci in parte}
dum uis singulorum exprimi aut perforri posse uideatur, non ^{speciali; de}
parum aucta esse onera atque pericula belli. Quaerimus er- ^{uno nunc,}
quare nostris militibus non debeant competere priuale- ^{quod ab}
go, quare Romani suaem militiae tribuerunt, cum non solum ^{autis la-}
eadem ratio pro iis pugnet, consistens partim in inscitia le- ^{boribus et}
gum, partim in periculo uitiae, partim in fauore armorum ^{periculis}
et compensatione aliqua onerum et operum bellicorum, sed ^{bellicis de-}
et major? Praesagit animus, quid Dissentientes contra haec ^{sumum}
molituri sint. Excitabunt LIPSIVM, ut amicitiam, quam ^{cst.}
nobiscum facere dignatus est, abrumpat. Hic Vir egregius,
cui ingenii gloriam nullo modo inuidemus, sed admiramur
potius, et lentis licet gradibus, et interiecto intervallo, sequi-
mur, in *ultima de militia Romana Dialogue*, non solum con-
tendit, pericula belli non minora olim fuisse, quam hodie,
sed et persuadere conatur, ut nouam bellandi rationem mu-
temus, et ueterem recipiamus. Quo facto nil nisi triumphos
auguratur, animoque praeuident longe lateque sparsa Christia-
norum signa. At enim uero non adeo meruimus nobis a.
LIPSIO, non quod contemnamus, quem laudibus extulimus,
sed quod nobis, si recte eum assequaris, parum aduersetur.

Nam loquitur magis de periculis, quae Romani suis hosti-
bus crearint, quam quae ipsi ab hostibus sustinere habue-
rint, et magis hoc uult, ut retentis nostris tormentis et alio
apparatu in nostris exercitibus funditores et sagittarios ha-
bere, et acies nostras instruere ad modum Romanae debea-
mus, quia non minus et saepe commodius occidi hostis sa-
gitta possit uel lapide, quam ingenti tormento; et acies Ro-
mana sic instructa fuerit, ut confidenter pugnare milites et
cum spe uictoriae potuerint, cum cedere sine metu ignomi-
niae et periculi potuerint, si res coegerit. Nam profligata
uelutum manus se sensim post hastatos, et hi, ubi infeliciter
pugnarant, post principes, et hi demum post triarios recipie-
bant, habentes spatium et tempus colligendi uires, et repa-
rato ordine hostes denuo aggrediendi. Interiectum quippe
erat cum inter cohortes et legiones, quarum quaeque tri-
ginta cohortes habebat, aliquod; tum inter tres ordines illos
seu lineas, praesertim intermedium et ultimam, ingens spa-
tium. Quae quidem nos suo loco relinquimus. Si quis uero
simpliciter et absolute praeferre uelit ueterem rationem bel-
ligerandi ei, quam hodie tenemus, seu grauitate periculo-
rumque magnitudine, seu utilitate, ubi ars muniendi urbes
et castra ad summum prouecta uidetur, de eo nulli dubita-
mus, quin nemini fidem facturus sit, et ipso usu ac quotidi-
ana experientia conuellatur. Non enim solum ad arma re-
spiciendum est, sed et ad ipsum uniuersum belligandimodo-
rum. Sagitta et lapis unum interficit: bombarda idem prae-
stat. Unde LIPSIUS conceptis uerbis musquetas, quae uoc-
centur, excepit. Sed amplius unus tormenti nostri globus non
unum, non duos, sed decem et plures extinguere ualerit, eius-
que in primis in obsidionibus usus est maximus: unde et
LIPSIUS expresse, quicquid dixerit, ad obsidiones noluit per-
tinere. Quaeso, quantum laboris hodie, quantum periculi
habet obsidio munitae urbis? non cum hominibus solum,
sed cum elementis pugnandum est. Terra, in qua praevidi-

um quaerunt milites, non semper tutos praestare potest, etiam cum in sinum recepit: saepe fraude ignis exspuit et propellit in aerem; aer remittit et prosternit in terram: aqua, quae in fossis est, denegat aditum, et insilientibus afferit mortem: ignis undique angit, et consumit, et omnia infesta reddit. Quae dum scribimus, recordamur graphicae descriptio-
nis pugnae naualis, ut hodie habemus, quam Perillustris
AUCTOR HEROLDI EUROPAEI in Prolegomenis dedit.
Cuius uia ac uenustatem cum latina interpretatione assequi
desperemus, remittentes ad fontem id solum monemus,
praeter summam dicendi facultatem Auctoris, qua pergere
ipsi facile fuisset, et ubique aequali procedere passu, si per
rerum scribendarum argumentum licuisset, id inde constare,
etiam maritimi belli pericula non parum aucta esse.

§. XVII. Hactenus generatim de argumentis, quibus *II. Dissen-*
*tios armati fumus: iam quoque generatim de argumentis *tientium**
*Dissentientium, quibus nostris militibus priuilegia militaria, *collatis et**
quae iure Romano continentur, interuertere conantur, uidea-
mus. Alii urgent nostrorum militum collectionem, quod
non ex ciuibus fiat; alii, quod non modo Romano; pars,
quod data pecunia: aliqui stigma nostris deesse monent, plu-
res cingulum; et ob id iure putant omnes Romana ipsis pri-
uilegia denegari. Sed his quidem facile resisti potest. Re-
gerimus, in aestimatione militum non ad originem esse uel *(A) a mi-*
formam externam, sed ad finem atque effectum respicien-
dum, atque sic omnes uno iectu prosterimus.

§. XVIII. Hi quidem putarunt milites nostros ea parte
odorierdos, qua milites fiunt, non qua milites sint. Intel-
lexerunt ex POLYBIO, LIVIO, DIONE et aliis, Romanos
quondam milites suos ex ciuibus legisse: cognouerunt quo-
que modum, per tribus et centurias. Inde putarunt, non
posse milites hodie priuilegorum, quae Romanis data sint, quasi aut *Retentio.*
capaces esse, qui non iidem ex ciuibus lecti sint, quasi aut *Retentio.*
Romani semper militiam et solam ex ciuibus habuerint, nec *Ventilatio*

unquam conductitia uisi sint, ne quidem tempore Imperatorum, in primis posteriorum usque ad Iustinianum: aut ratio priuilegiorum, quae Romani suis militibus tribuerunt, non eo pertineat, quod milites sint, sed quod milites ex ciuibus facti sint. Romanum Populum aliquando bello Punico secundo mercenario milite usum fuisse, auctore LIVIO *L. 24. in fine*, refert ALEXANDER AB ALEXANDRO *Dieb. Genial. l. 6. c. 22.* Et quis crederet, in bello ciuili Triumvirorum, cum iam ante uariis praeliis, inter Marianos et Sullanos, Pompeianos et Caesareanos commissis, tot hominum millia ciuilis furor abstulisset, omnes legiones, quarum Antonius quinquaginta, Octavius quadraginta habuisse fertur, ex solis ciuibus collectas fuisse, etiam si iam tum Lege Iulia toti Latio ciuitas Romana data erat. Aut quis non dubitaret, anno Vrbis 528. in Gallico tumultu Populum Romanum exercitum ad octingenta millia militum ex sola Italia collectum habuisse, licet de eo scriptorum Romanorum testimonia afferat CANTELIVS *de Rep. Rom. p. 233.* Sed haec in medio relinquemus. Illud certum est, sub Imperatoribus rationem conscribendi exercitus mutatam fuisse, et milites subditis pro modo possessionum imperatos, ut uel ex *l. 7. et 12. C. Tb. d. tiron.* constat. Nec dubium est, quin exteri quoque a ciuibus conducti et ad militiam comparati fuerint, sicut etiam in dicta *l. 7.* quae est Imperatorum Valentiniani, Valentis et Gratiani, *aduenarum coemtio* memoratur, generatimque locus mercenariae militiae fuerit. Certe quis dubitaret, tempore Iustiniani omnes, seu ciues, seu exteros, qui ingenui erant sanguinis, et ad dandum nomen militiae parati, in numeros relatos fuisse? Atqui uero ipsi Imperatores privilegia militaria aut dederunt, aut confirmarunt: imo totum Romanum ius, ut hodie habemus, et omnis eius uis obligandi a Iustiniano est, et secundum statutum aeuī Iustinianae iudicanda. His accedit, quod maximum est, et per se sufficiens, in aestimandis priuilegiis militaribus, quae iure Romano continentur, et ad

no-

nostros milites applicandis rationem ineundam esse non personarum , quibus data sint , sed caussae , quare data sint . Quae cum nec hodie cessare ullo modo dici possit , ut iam- iam intelleximus quid est , quare dubitemus , nedum per- tinaciter repugnemus , nostris militibus Romana priuilegia accommodare , quae , si recte aduertimus , non militibus , sed militiae , seu non personae sed ordini data sunt ?

§. XIX. Illud autem de data pecunia quid potest effice- Secundū
re ? si licet stipendia dare militibus , quare non licet ipsis eti- am aliquid dare praeципui ? Atqui Romani civibus militi- bus stipendia persolverunt , et quod in scriptoribus rei Ro- manae legitur , frumenti certum modum datum esse , pecu- niae nihil , non captandum est , sed de primis temporibus accipendum . Nam tertio ab Vrbe condita seculo paulo ante

captam a Gallis Vrbem aera quoque militibus constituta sunt , et deinceps constanter soluta , et aucta quoque , praesertim sub Imperatoribus , ut uidere est in compendio apud CAN- TELIVM de R. R. p. 246. et ALEX. AB ALEX. D. G. l. 6. c. 22. Sed quid illi sibi cum stigmate volunt et cingulo ? mira- Tertiū et mur , quod non etiam galeas requirant cum cristiis , et lori- Quartū cas segmentatas , et ocreas in crurib⁹ dextris . Stigma erat no- ta publica , quae tironibus in manibus imprimebatur , non ignominiae caussa , sed notitiae , ut si ausogerint , possint a- gnosci . Ad quorum exemplum fabricensibus stigmata infligi in brachiis iubent Arcadius et Honorius Imperatores in l. 3. C. de Fabricens . et l. 4. C. Tb. eod ad quam posteriorem IACOB. GOTHOFREDVS plura de eo argumento colle- git . Cingulum autem quale fuerit , iam supra intelleximus . Sed quid stigmati cum priuilegiis militaribus ? et quomodo a stigmatis absentia ad priuilegorum denegationem ? nullus est de eo in Topicis Eberhardinis locus . Stigma non facit militem , qui praesens priuilegia urget : sed latitatem pro- dit , qui miles esse et priuilegiis frui recusat . Nec res utili- tate metienda , cum sine dubio nec olim latitantes reper-

ti sint omnes, qui stigma habuerunt, et hodie reperiantur, qui stigma non habent. Certe stigmatis usus hodie distinctis Principum nostrorum et imminutis territoriis non magnus futurus est. Cincti autem nonne nostri quoq; milites sunt? quid interest hoc an illo modo? Plane quondam maiores nostros ad modum Romanum cingulum et gladium gestasse, sed, quod mireris, ad dextrum latus dependentem, ex CLVVERIO constat, de *Germ. Antiqu.* l. 1. c. 44. Nec medio aeuo morem cingendi a Romano absimilem fuisse, ex uariis scriptorum locis probabiliter constat. ARNOLDVS LVBECKENSIS in *Chron.* l. 3. c. 5. de Friderico I. narrat: *edixisse curiam, ut filium suum Henricum Regem militem declararet, et gladium militiae super femur eius potentissimum accingeret.* Et de Friderico Duce Sueviae, filio Conradi Regis, refert RADEVICVS l. 1. c. 6. *in praesentia Imperatoris gladio accinctum fuisse, et militem professum.* Item de exteris Principibus, Geifa, Vngarorum Rege, memorat OTTO FRISINGENSIS de *Gestis Friderici* l. 1. c. 32. *in campo ad Leitam fluuium ordinis militaris insignia suscepisse, cingulum militare accepisse, gladio accinctum militem factum, balteo donatum esse:* et de Malconio, Rege Scotiae, cingulo militaria Rege Francorum Henrico accinctum fuisse, SIGEBERTVS in *Chron.* Ann. 1160. Ut plura non afferamus, quae simul de dignitate militari argumentum praebent, quia primae nobilitatis uiri solenni ritu milites creari non degnatisunt, quod et de CAROLO M memoriae prodidit ALBERICVS monachus in *Chron.* Ann. 890.

Propositio §. XX. Alii Dissentientium, quasi uitium sociorum agnoscentes, dirigunt mucrones in eam partem nostrorum militum, qua milites sunt, non qua milites facti sunt. *Imperiale nostrae* tunt uirtutem ipsorum et efficaciam, contendentes, extra-militiae neam et mercenariam militiam tantum non ualere, quantum domesticam, atque sic nec iisdem priuilegiis dignam esse. *efficacia.* *Confutatio* Enim uero ad haec decies plura reponimus. An nobis semper extera militia et sola? an Romanis semper domestica?

et

et quid inter mercenariam et stipendiariam interest? nonne
 hodie maxima pars militum ex patria? nonne sequelae hodieq;
 locus? nonne usurpatur, cum necessitas postulat? an extera militia
 dicenda, quae Germanico Principi ex uariis Germanicae Nationis Gentibus collecta est? et qua parte tandem extera militia
 et mercenaria inferior illa, quae ex ciuibus constat? an uirtute?
 fane omni genere Politicarum scientiarum excellentissimus
 HEROLDI EVROPAEI AVCTOR *in Proleg. p. 12.* ait, iam ab ali-
 quo tempore existimat fuisse, bella non ita promte felici-
 terque patria militia, quam extera, geri, et ob id potentissimas
 respuplicas et maxime populosas milite conducto usas esse.
 Et licet non gereretur, sufficit, quod geri credatur ab iis, qui
 belli gerendi pariter ac ferendarum legum, priuilegiorumque
 conferendorum, potestatem habent. Quia ergo alia re miles
 ciuis extero praeualeat? an fauore tamen, et eo ipso, quod ci-
 uis est? Quaerimus per DEVIMmortalem, quis maiore fauore
 dignus, miles ciuis, qui ad profundendum pro patria sanguinem
 obligatus est, an exterus, qui nullo vinculo amoris,
 nulla obsequii necessitate coactus pro salute alienae reipubli-
 cae corpus, sanitatem, uitam, morbis, periculis, morti ex-
 ponit? sed id, inquis, facit fere sui commodi causa: quid tum?
 faciat, modo et reipublicae, cui militat, commodum pro-
 moueat. Darius apud CVRTIVM Lib. III. cap. 8. cum ipsi
 suaderent purpurati, ut quos Graecos haberet in exercitu,
 iuberet toto exercitu circumdatos telis obrui, negat, se tan-
 tum facinus esse facturum, ut suam secutos fidem, suos mil-
 tes iubeat trucidari, qui ex extera natione salutem suam cre-
 didissent sibi, i. e. ut BOECLERVS explicat, laudato supra
 loco, p. 959. qui non facerent peregrinorum opera, sed ciuium ui-
 cem praelarentur. Addit uir celeberrimus: Diminuitur ali-
 quid, fateor, de tam praeclara opinione mercenaria uilitate
 quorundam: sed nec semper de sequiore proposito singulorum
 constare potest, et hominum uitia ad iniuriam rerum ualere non
 debent. Et quid multa? Si miles exterus in Germania militat,

nonne eo ipso Germanus ciuis est? sin extra Germaniam, Germanico tamen Principi, sufficit, a patre patriae esse assumtum, et militibus patriis consociatum et exaequatum.

Propositio §. XXI. Est et alia pars Dissentientium, quae et ipsa in *TERTIA*, numero oppugnantium priuilegia militaria est, sed aliquantum remissius agit. Pars enim concedunt Caesareanis militibus, qui sub signis Imperatoris Germanici stipendia merent, et ipsis reddere priuilegia parati sunt. Agendum cum his moderatius est, quia errore magis, quam consilio, ad pugnam cincti sunt. Non satis percepunt animo nec iura Principum nostrorum imperii, et statum publicum, quo bella gerere cum exteris possunt, modo id sine damno et pernicie Regni Germanici fiat: nec quo pacto ius Romanum in Germaniam peruenit. Neque enim nos, sicut nec alios in quoquam regno, leges Romanae tenent, quod ab imperatoribus Romanis profectae sint, eorumque iam sint successores Germaniae Reges: sed quod consentientibus Germaniae Regibus, Imperatoria maiestate condecoratis, et Principibus, quatenus Imperii participes sunt, et legum ferendarum potestatem habent, libera uoluntate Germanorum receptae, et in forum ac usum deductae, et deinceps, ut supra intelleximus, legibus Germanicis, seu expresse dicas, seu tacite, confirmatae sunt. Quae cum plana sint et notiora, quam ut iis pertinaciter repugnari possit, illam quidem cohortem Dissentientium, quae longius a suis progressa est, sine difficultate captiuam ducimus.

(B) a prl. §. XXII. Verum enim uero sapientiores Dissentientium non milites nostros, nec qua sunt milites, nec qua ipsis et eo- milites facti sunt, sed ipsa priuilegia, quae nostris rū fonte. militibus vindicatum imus, et eorum fontem intuentur, et *Propositio*. sic uelut ex insidiis nostram militiam impugnant. Penetra- runt in arcana Reipublicae Romanae, et animaduerterunt, quod primis Monarchiae seculis summa potestas magis apud militiam et exercitum, quam Senatum et Principem fuerit, et

et quod milites fere pro lubitu et fecerint et interfecerint Imperatores. Cuius rei cognitione excitati longius cogitatione mentis progressi sunt, ut Imperatores sub speciosis rationum inuolucris non alia de caussa tot priuilegia militibus concessisse statuerent, quam ut fauorem militum aut conciliarent sibi, aut conseruarent. Cum autem haec uera ratio mutato Reipublicae statu, et Romanorum Imperio ad Germanos translatu, hodie manifeste cessen, aliter fieri non posse, quam ut priuilegiorum militarium, quae iure Romano prescripta sint, multa hodie cessent. Inde audacia: inde impetus: inde pugna. Enim uero, si recte aduertimus, nec quasi fulgere *Confutatio.*
 armorum praefringi oculos pati uolumus, mox constabit, specie magis quam acie terribilia fuisse. Primum negare non possunt, statum illum, quem urgent, Reipublicae Romanae, magis ad prima secula pertinere, quibus gentiles imperii habenas tenuerunt. Postquam et caput et membra Christiana facta sunt, omnia in melius mutata sunt, et pristina confusio correcta, maxime a temporibus Theodosiorum. Nam quae interdum, etiam post Iustinianum, sub finem seculi sexti, et initium septimi, inter Mauritium et Phocam, et hunc inter atque Heraclium, et post etiam, gesta sunt, magis ad exceptionem a regula pertinent, et quasdam ueteris confusionis reliquias atque uestigia referunt, maxime cum illa singulari, sed iusto, DEI iudicio sic euenisce uideantur, ut et iracundissimus Imperator iustas poenas peremtorum ad duodecim millia militum lueret, nec crudelissimus tyrannus Imperatoris et familiae Augustae internecionem impunem haberet, de quibus latius ZONARAS in Mauritio. PALLIUS DIACONUS L. 10. et 17. AIMONIUS L. 3. et 4. et alii. Atqui nobis in aestimanda iuris Romani auctoritate unice ad tempora Iustiniani respiciendum est, qui omnia, quae uoluminibus suis auspiciis compositis continentur, sua fecit, et sublatis ueteribus cum ICtorum scriptis, tum imperatorum codicibus, ex solo suo iussu atque imperio uim omnem ac

robur uoluit obtinere. Unde priuilegia militaria, quae ab anterioribus Imperatoribus profecta sunt, effectu censenda sunt ab ipso Iustiniano profecta esse. Cuius uolumina, postquam ex longis tenebris in lucem protracta, et literis exscripta, et in unum corpus redacta sunt, cum certatim a gentibus, et inter has a Germanis recepta fuerint, qua talia, id est, quatenus Iustinianum auctorem habent, non est iam nostrum in auctores singularum legum inquirere. Deinde lubentes fatentur, speciosas rationes legibus praetextas esse, ueram nunquam expressam. Sed hoc quid aliud est, quam propriis cadere telis? An decet iureconsultum, ultra cauſas, quas legislator expressit, alias quaerere, nedum magis diuinari? Haec est μισθίστασις τοῦ ἄλλο γένους. Legislatoris est, cauſas legum pondere atque statuere; iureconsulti leges interpretari, et secundum legislatoris uoluntatem ad facta ciuium applicare. Sufficit ergo, cauſas expressas, siue in illa ipsa lege, de qua disceptatur, siue in alia, hodie etiam in nostros milites quadrare.

§. XXIII. Res nondum confecta est. Non ualde quidem de bono exitu dubitamus, sed nec canendus tamen ante uictoriam triumphus. Instant Dissidentes pertinaciter, et protrahunt certamen. Urgent et replicant, quae ad singulas leges, ad singula priuilegia pertinent: alia non quadrare in statum hodiernum, quacunque ratione suffulta sint: alia promedium sanae rationi aduersari: alia nunquam recepta: alia iamdudum oblitterata esse. Sic crescit pugna, et per uniuersum Iurisprudentiae campum diffunditur. Agedum, LECTOR BENEVOLE, Tu, si lubet et uacat, rem omnem penitus cognoscas: Tu medias teneto partes, uictoriaeque et triumphi arbiter esto.

PARS SPECIALIS,

DE PRIVILEGIIS MILITARIBVS IN SPECIE, SINGVLORVMQVE VSV HODIERNO.

§. I. Iam

§. I.

IAm ergo de singulis priuilegiis pugnandum est, quorum alia Militibus competunt ex Iure Personarum; alia ex Iure Rerum; alia ex Iure Actionum.

§. II. Quod ad ea, quae ex Iure Personarum competunt, *De Priuile.*
 Dissentientes quasi stratagemate usi sunt. Dum enim plura uin- *Milit.*
 dicamus, pro diuerso statu hominum, Libertatis, Ciuitatis,
 et Familiae, illi, quae ad primum statum pertinent, palam (*I*) *ex I.*
 omnium oculis exposuerunt, ut ueluti praedae cupiditate in- *Personar-*
 censi in impedimenta irruamus, quo ipsi interim aliis par- *-ruis.*
 tibus grauius instare, et felicius pugnare possint. Concedunt (*a*) *quod*
 enim nobis et fere obtrudunt, quae de seruis, et postlimio, et *ad statum*
Libertatis. Legis Corneliae fictione iure Romano scripta sint, etiam ho-
 die locum habere posse et debere, si bellum gesserimus cum *Deseruit.*
 gente, quae adhuc seruitute utatur. Sed has quisquilias *per-*
 nimus atque contemnimus. Turcae et Tartari capti apud nos
 fere in deliciis, certe non eodem loco habentur, quo serui
 Romani. Ciues autem nostri, qui a barbaris capti sunt, apud nos
 nullo plane modo habendi pro seruis, sed testamenta a morien-
 tibus in seruitute condita ualent, si haberi possunt, certe eo
 non inualida sunt, quod a captiuis facta sunt. *Quo enim iu-*
re seruitutis in hostem captum, (minimum quando cum Gen-
te Christiana bellum) qui patriam oppugnatum uenit, non
 utimur, eo utamur in ciuem, qui pro patria pugnans ca-
 ptus est? Potius uindicamus militibus nostris captis, quod est *De capti-*
 in *L. 23. C. d. 55. Eccles. j. Nou. 131. c. 6.* ut quod ad redimendos *uorum re-*
 captiuos relictum, uel legitimo modo donatum est, intra cen- *demitione.*
 tum annos peti possit, quod posteriori lege ad quadraginta
 coarctatum est: et in *L. 49. C. d. Episc. et Cler.* qua permissum
 est totam suam substantiam pro redemtione captiuorum re-
 linquere, et ipsos captiuos heredes scribere, cum regulariter
 incertae personae heredes institui nequeant. Vtrumque

aperte in fauorem militum constitutum, nec ratio obscura est, et hodie quoque sine dubio locum habet.

§. III. Multo acrior de statu ciuitatis contentio. Nam

(6) quod in eo et ueteranorum cauſa uertitur, et totum caput igno-
adflatum rantiae iuris, de qua militibus priuilegio cautum est. Equidem
Ciuitatis. de posteriori, an civis esse posit miles, et tamen iura ciuita-
De igno-
rantia iu-
ris. Nos nihil amplius uolumus, quam ignorantiam Iuris Ciuilis

Communis, non Naturalis, nec Ciuilis Militaris: idem con-
cedere Dissentientes uidentur. Nos non solum innocuam, sed et
proficuam ignorantiam uolumus: idem uelle et Dissentientes
uidentur. Ergo hic pax? imo uero tantum species aliqua indu-
ciarum. Gliscit dissensio sub cinere, et periculū est, ne mox ue-
hementius erumpat. Nam de terminis ignorantiae nondum sa-
tis conuenit, quoisque in casibus specialibus proficua esse de-
beat. De iuribus ueteranorum maius est et apertius certamen.

*De iurib⁹ ueterano-
rum.* Multi enim hic extrema intentant nobis: pars quoque illudunt.

Nam GROENEVVEGENIVS ad Tit. C. de ueteranis, inueterata
ueteranorum ait esse priuilegia, atque immunitates: Et SCHIL-
TERVS Exercit. ad n. 50. §. 16. non putat operae pretium de ue-
teranorum priuilegiis disputare. At enim uero quid tandem
est, quod eos tam male habet? Data sunt ueteranis aliqua iura
et priuilegia in praemium nauatae reipublicae operae, immu-
nitas a muneribus ciuib⁹ personalibus, l. 18. §. 29. d. muner.
j. l. 2. §. 1. D. d. ueter. speciatimque ab onere tutelae, secun-
dum distinctionem in l. 8. D. de excus. ab operibus publicis, l.
2. C. d. oper. publ. a collatione seu collectis, si non patrimonia-
libus, aut non omnibus, d. l. 2. §. 1. et l. 4. de ueter. j. l. 10.
d. uacat. certe personalibus, et uestigalibus, si mercimonia
exerceant, pro mercibus, uel persona, uel mercandi licentia
soluendis, l. 1. C. d. ueter. quamvis absurdum non sit, si ab omni-
bus dicamus, et proper expressa uerba in d. l. 1. C. Constantinus
Augustus dixit: Magis magisque conueteranis meis beatitudinem
augere debeo, quam minuere, putemus a Constantino adjectum
uete-

veteranis, quod Ulpiani et Pauli tempore, quorum illae aduersae leges sunt, non habebant. Quo etiam REGNERVS inclinat in *Cens. Belg.* ad *l. i. et 2. D. d. ueter.* Addatur BRVNNEMANVS ad *Tir. Cod. de veteranis*, et MEIERVS *C. I. A. Tit. eod. de veteranis*, qui *n. 9.* inter priuilegia veteranorum etiam immunitatem a metatis, si domus habeant, refert, per *l. 9. C. d. prox. sacror. scrin. L. 12.* Item immunitas a poenis grauioribus, uelut ad bestias, in opus publicum, a fustibus, *l. 1. et 3. D. d. veter.* idem ipsis liberisque eorum cum decurionibus honor, *d. 4.3.* Haec sunt fere, quae uolumus ad nostra tempora, quatenus fieri possit, applicari. Quid ergo habent Dissentientes, quod nobis obuertant? an incongruum est, qui per uiginti annos innumerabilia incommoda, et onera, et mala pro republica sustinuit, eum tandem in otio consenescere, aut quod reliquum uitae habet, absumere, nec aequa ac alii, ciuilibus muneribus grauari, uel collectarum et uectigalium, uel aliis oneribus premi, uel etiam mitiori poena ob malefactum aliquod affici, qui tot benefacta in rempublicum contulit? et multo magis, si honeste uiuat, honore aliquo ornari? Nam quod fere contemni soleant milites missi, et omnibus odio haberí, id perperam fit, et fieri non debebat. Haberemus milites meliores, si et ipsi melius, et in primis post missionem benignius et liberalius haberentur. At scilicet non recepta sunt veteranorum priuilegia pro statu nostratis militiae. Hoc est Schilteri telum, sed idem, quae nosti ex superioribus, scuta non perfringit nostra. Mox pro receptis forent habenda, si essent, qui eadem urgerent. Sed haec cauſa est, quare fere ignorentur, quod hodie uix sit miles, qui uni domino per uiginti annos militauerit, et si forte sit, pauper sit, qui ostiati stipendia quaerat. Atque huc dum fortissima aduersariorum tela abeunt, rem ipsam et cauſae neruum parum feriunt. Quid si enim sint, qui fideliter per uiginti annos (dabimus logistimum spatium, non immemores *l. 2. C. de bis qui non implet. s. ip. et eo-*
rum

rum, quae supra intelleximus) uni domino seruierint, et
 honeste missi iura ueteranorum urgeant? Sane BRVNNE-
 MANNVS in Comment. ad D. T. d. ueterans, in hunc casum,
 si recte et attente legatur, largitur omnia, et totus totus pro-
 nobis militat, qui idem in Comment. ad Cod. T. de excus. ueter.
 postquam remissionem tutelarum, quam ueterani habent,
 explicasset, n. 4. expressis uerbis addit: *talia militum priuilegia etiam in nostris locum babere receptius esse.* Quem secu-
 tus est HOPPIVS in Comment. ad Insit. Tit. de excusat. §.
 14. in Vs. Hod. nisi quod temporis determinationem, intra
 quod honeste missi immunes esse debeant a tutela, iudicis
 arbitrio committendam putat. Et ENGELBRECHTVS in
 Comp. Iurisprud. ad eund. tit. d. ueter. expressis uerbis ait:
priuilegia ueteranorum ad nostro milites accommodari solere,
si impleto legitimo militiae tempore, hoc est uicennio, pro patria
militauerint, et honeste missi sint. Idemque non obscure pro-
 bat HAHNIVS ad Wesenb. Tit. de re milit. et expressis uerbis
 cum MEVIO Perillusfr. L. B. a LYNCKER ad Struu. S. I. C.T.
 de ueteran. Et REGNERVS in Cens. Belg. ad l. 1. et 2. D. d.
 ueteran. immunitatem, de qua pr. d. l. 2. agatur, nequaquam
 adem tam uel adimendam censem, itemque mitigationem poe-
 nae concedit, modo legibus diuinis, ueluti de homicida oc-
 cidendo, uis non inferatur, in eandemque sententiam Groe-
 nevgegenium explicat. Ipse quoque MORNACIVS, qui eiura-
 tus militiae nostrae hostis uidetur, eo quod ad l. 40. D. ex quib.
 caus. mai. iam anno 1598. ei generatim priuilegia Romanae
 militiae abiudicata profert, quasi ipsa praescriptione tutus et
 munitus: tamen ad l. II.D. d. eniçt. ueteranis nostris ex ipsis
 rebus iudicatis non parum tribuit: idque se tanto accura-
 tius adiicere uoluisse ait, quanto liberius alii asseuerare au-
 deant, usum tituli de priuilegiis ueteranorum paruum esse.
 Sed et multi eorum qui a partibus aduersis stant, et priuilegia
 ueteranorum hodie uel non, uel parum obseruari uolunt,
 de gregariis militibus loquuntur. Vid. SCHOEPPFER ad
 Tit.

Tit. de veterānis, STRUVIUS in recentiss. Compend. Iuris, ad tit. eund. Et a nobis non aliter speranda pax, quam si ueterani, quos diximus, si qui sint, uel futuri sint, in pacis conditiones et tabulas referantur. Quodsi id ui impetrare non poterimus, certe consilio efficiemus. Damus enim consilium, si cui contigerit expletis uiginti stipendiis esse superstiti, et ipsi iura ueteranorum denegentur, ut principem adeat, et tot annorum labores atque pericula ad uiuum demonstret, simul quid Iure Romano de ueteranorum priuilegiis scriptum sit, exponat, et in fine conuenientes preces annexat: bona fide spondemus fore, ut iustitiae petitionis principis clemencia respondeat.

§. IV. De statu Familiae languet pugna, nescio an eo, (*y*) quod ad statum Familiae. quod uulgo non satis, non dicam intelligi, sed explicari uideatur. Solet enim status Familiae definiri, esse, quo quis sit paterfamilias uel filiusfamilias. Sed longe latius patet, ut secundum eum personae sint uel sui, uel alieni iuris; uel cognatae aliis, uel non cognatae, seu extraneae; uel aliquo uinculo matrimoniali constrictae, uel liberae: et amplius, *quae sui iuris*, uel *altis suo modo subiectae* sint, puta pupilli, et qui perfectae aetatis non sunt, aut alias ob uitium animi uel corporis in cura sunt: uel *alias suo modo sibi subiectas habentes*, puta tutores, curatores, domini, patresfamilias, in speciali sensu propiis accepti, qui liberos habent in patria potestate: (nam et ille paterfamilias dicitur, qui sibi acquirit, ut pupillus, minor, conf. l. 195. §. 2. d. V. S.) uel *neutro modo affectae*, puta maiorennes sanac mentis et corporis, neque seruos, neque liberos in potestate habentes: *Quae alieni iuris*, uel *in dominica potestate sint*, puta serui, uel *in patria*, puta liberi, uel ex iustis nuptiis procreati, uel ad eum effectum legitimati, uel adoptati, nondum emancipati: *Quae cognatae*, uel *consanguineae*, uel *affines*, et *illae uel agnatae uel cognatae*: *Quae uinculo aliquo matrimoniali constrictae*, uel *sponsus sponsaue*, uel *maritus uxorue*, uel *concubina*. Qui campus licet am-

plus sit, tamen quia, qua in praesenti pugnae patet, planus est,
 non multum audere, nec posse, Dissidentes uidentur. Nam
GROENEVVEGENIUS ad Tit. D. de castrenſ. pec. impugnans
 cum AUTUMNO peculium castrenſe, quod milites habent
 sub patria potestate constituti, pleno separatoque a rationi-
 bus paternis iure, quasi, quae de eo Iure Romano scripta sint,
 fere omnia recesserint ab usu: et MORNACIUS usum pecu-
 lii fere, nescio quo fato, ad Clericos rediſſe afferens, ad L. 3.
 de minor. 25. ann. p. 199. timidi uel solo strepitū forensi repel-
 luntur usque ad fines, ex quibus primum egressi sunt, alter
 Batauiæ, alter Galliae. Nam in foro Germanico Im-
 perii nostri usum patriæ potestatis, e cuius ruinis, nescio
 quibus moribus in Batauiæ collapsæ, suae fundamentum
 sententiae GROENEVVEGENIUS construxit, permagnum
 esse, peculiorumque diuersitatem accurate seruari, tam no-
 tum prouocatumque est, ut demonstratione non egeat, licet
 de castrenſi quidem peculio non omnes libri foreſſes pleni
 sint controuersiarum, quia id non inde est, quod iura pecu-
 lii castrenſis cesserint, sed quod ipsa peculia castrenſia rariora
 sint. Conferri uelim cum B. PHILIPPI Us. Hod. Instit. Lib. 4.
 Eclog. 61. j. L. 2. Ecl. 43. B. LAUTERBACHIO in Coll. Tb. Pr. ad
 Tit. de pecul. §. 5. et seqq. B. STRYKIO Us. Mod. D. ad Tit. de
 pecul. ex Nostratibus Magnificos Viros, BERGERUM Respons.
 Iur. P. 1. Resp. 195. WERNHERUM in Obſeruat. Forens. P. 1.
 Obſ. 142. j. Obſ. 9. BEYERUM in Posit. ad Pand. Tit. de bis qui
 sui uel al. iur. Neque porro uacationem a tutela, quam mi-
 lites sic habent, ut ne quidem uolentes ad eam admittan-
 tur, et eius nomine, quod pro tutore gesserint, non tutelæ
 iudicio, sed negotiorum gestorum teneantur, per l. 4. C. qui
 dar. tut. poss. sustinent Dissidentes pertinaciter impugnare,
 quia de expugnatione desperantes fecit cogitatio fundamen-
 ti, seu cauſſae, qua nititur, consistentis in tractandis expedi-
 tiis armis, gerendisque rebus pro patriæ salute, et quadran-
 tis optime in statum nostrum. De rebus autem ad cognatio-
 nem

nem et matrimonium pertinentibus quod hic certamen nullum, nolim mireris. Duas enim tertias campi, in quo iam uersamur, Romani, Pontifex occupatas tenet, iam ab antiquo tempore. Nec cuiquam lubet cum BARTOLO concertare quaestionem: *an miles teneatur uxorem suam vocare dominam*, et haec ab illo id iure queat postulare? quam ad l. 26. C. d. do-
nat. int. vir. et ux. et aliis multis locis magno studio propo-
suit, et sententiam negantem argumento in forma solenni
cinxit, ut castra solent uallo arte mathematica structo.

§. V. Quod porro ad priuilegia Militaria ex Iure Re- (II.) ex I.
rum attinet, labor omnis et pugna abit in duas partes. Al- Rerum.
tera de iuribus in re, altera de iuribus ad rem contenditur.
Utrumque non sine ardore: sed et utrumque spes est, nos su- De Priu.
periores decestros, quia hic nobis maximum robur est, hic Milit. cir.
aquila et Imperator, hic aer nobis et uentus conspirantium ca
Doctorum, et lux ipsa fori atque praxeos fauet.

§. VI. In altera parte ergo de iure dominii alii, alii de (A) IUS
iure hereditatis contendunt. Qui de iure dominii, impu- IN RE,
gnant et defendunt, quae de acquirendo rerum dominio in
fauorem militum §. 17. I. d. R. D. et l. 8. C. d. rei vind. singu- (1) domi-
lariter constituta sunt. Docet Impertor in §. 17. et docendo nium,
Praecipit, statim militum fieri, quae ex hostibus ceperint, (a) ex §. 17.
adeo quidem, ut etiam liberi homines in seruitu- I. d. R. D.
tem ipsorum deducantur. Hic confertim pugnatur, quia Propositio,
et de sensu uerborum, et usu. Concedimus lubenter aliquan- Ventila-
tum, atque largimur, textum ad immobilia non pertinere,
quia haec talia non occupantium fieri, sed publicari in iure di-
cuntur, l. 20 §. 1. d. capt. et postlim. sed potius reipublicae uel
principi, cuius auspicias bellum geratur, acquiri, itemque
personas captas fere non amplius a capientibus retineri, ne-
dum in seruitutem detrudi, nisi forte, quod ipsi aiunt, cum
barbaris bellum sit, sed qui ceperunt, praemium aliquod,
si persona insignior capta sit, aut pro leuiori lytrum accipe-
re solere. Sed aduersarii, GROENEVVEGENIVS, VIN-

NIVS, HOTOMANNVS, et qui sunt plures, hoc non contenti non solum ad res mobiles uel se mouentes, sed et ad eas, quae in dimicacione singulari, aut in liberis et iniussis excursionibus, atque sic extra ministerium publicum capiantur, uolunt restringi: partim, quia quae aliter, in praeliis, in expugnatione urbium, castrorum, capiantur, actu bellico et in ministerio publico capiantur: eorumque dominium ipsi populo uel principi acquiratur: qua parte **H. GROTIUS** in subsidium vocatur, ut hanc sententiam suam, quam de *I. B. et P. L. 3. c. 6. §. 2.* profiteatur, propagnet: partim, quia ex scriptoribus Romanis notum sit, proficiscentibus ad bellum ducibus quaestorem adiungi solitum fuisse, qui praedam et spolia ex hostibus colligeret, uendebret, et pecuniam in aerarium referret. Sed et amplius usum istius §. hodie nullum esse contendunt, sed quantum habere et acquirere debeant milites nostri, ex principum uel du-cum belli arbitrio dependere. Itaque ergo non minori uirtute nos resistimus sententiae, quam infistunt illi. Quis audiat negare, quae milites Romani in praelio prostratis hostibus detraxissent, ea fecisse sua? aut quis inficias ire, in arbitrio imperatoris fuisse urbem militibus diripiendam dare, idque saepe numero factum esse? Et quid nobis cum **GROTIUS**, quem nunquam laesimus, nunquam ad certamen prouocauimus? quem eo, quo decet, honore semper et cultu sumus et amore prosecuti? Ille de occupatione bellica secundum Ius Naturae et Gentium: nos secundum Ciuite Romanorum. An putabimus, et Imperatorem de solo Iure Gentium accipiendo esse, quod eius expresse fecerit mentionem? Quasi uero accurate Iuris Gentium nomen, et Naturalis, et Ciuilis, semper a **ICtis** Romanis usurpatum sit, nec iam ante idem HVGO in *Lib. 2. c. 8.* contrarium ostenderit, et in primis, multa perperam ex ciuibibus institutis ad Ius Naturae et Gentium translata fuisse: aut quasi, quae **ICti Romani** de Naturali et Gentium iure pulchra confusione tra-

tradiderunt, ea nobis pro legibus obseruanda ueniant? Usum autem Iuris Romani, qua de iure militum acquirendi in bello statuit, dicemus nullum, quem etiam patria iura confirmant? Annon in Recessibus Imperii *Instructio equitum peditumque de A. 1570. art. 203.* idem indulget militibus nostris, quod de Iure Romano euicimus, exceptis iis, quae ad comitatum et armaturam pertinent? quid aliud loquuntur nouissimae ordinationes militares Regum et Principum in Europa, et nostro speciatim Imperio? An putabimus, eo ipso Iuris Romani usum reddi nullum, quod idem iure patrio constitutum sit? imo uero ualet semper Ius Romanum, et ualeare censendum est, quoisque iuri Patrio non repugnat: non autem repugnat, quando cum eodem conspirat. Imo sufficerit nobis, usum tunc et uim habere, quando specialibus ordinationibus et nouissimis principum uoluntatibus contrarium non sit constitutum.

¶. VII. Quibus rebus iam magis exarsit contentio de (e) ex l. 8. lege altera, nempe 8. C. d. rei vind. Coniunxit uires cum C. d. R. V. AVI VMNO et MORNACIO GROENEVVEGENIVS add. l. et tanto magis sperat legem conuulsurum, quanto magis sibi *Sententia* fundamentum ipsius labefactasse uidetur. Vult enim caussam, *Dissentientium* quare militibus concessum sit, ut earum rerum, quas alter *entium* ipsorum pecunia emisset, ipsi dominium acquirerent, eo esse *proponitur* etu, ut si uellent, possent ipsas res utili rei vindicatione petere, si nollent, possent et mandati iudicio seu negotiorum gestorum experiri, in eo sitam esse, quod militibus non licuerit in ea prouincia, in qua bellica opera peragenda fuerint, praedia comparare, l. 9 et 13. d. re milit. uel conducere, l. 31. C. loc. cond. atque sic necesse habuerint, dum in expeditione degerent, pecunias apud alios deponere. Quae cum hodie cesseret, et moribus in emendis conducendisque praediis par sit militum ceterorumque conditio, istam praerogatiuam, utilemque rei vindicationem hodiernis militibus concedere iniquum et a iurisdictionibus alienum putat. Vides,

quam iratus sit? quae spargat fulmina? Auget spiritus quod eandem legem pro abrogata habentes AVTVMMVS, *ad eam*, et MORNACIVS ad l. 6. C. eod. non parum auxiliū allaturū videantur. Iam ergo quid consilii? resistere an cedere satius?

obiter pro parte pro confuta- tur per in- directum. Sed ante omnia, quae de sublata prohibitione emendi uel producendi prædia apud aduersarios reprehendere licuit, arripiebatur, et quasi prædae loco intra præsidia deduci curabimus, eo quod non satis certi de ea esse posse videamur. Tum uero, quia a fronte uix illis resisti potest, age in latera irruamus. Pupilli emere et conducere possunt, imo tutores iubentur pecunias pupillares in coemendis prædiis collocare, l. 7. §. 3. d. adm. et per. tut. et tamen illos eodem iure cum militibus frui, constat ex l. 2. C. quand. ex fact. tut. Quare ergo non alia causa dati militibus priuilegii esse possit, quam ea, quam GROENEVVEGENIVS obtendit, maxime cum et aequaliter fauorabilis in iure, imo multo magis militum cauſa sit, quam esse pupillorum dici possit: et militibus extra prouinciam, in qua bellum geritur, prædia comparare, imo et domum in prouincia licuisse, ex illa ipsa l. 13. de re milit. manifestum sit? Et quid si aliquis ex nostris militibus a prædiorum mentione uel conductione abstinuerit? Itaque hoc uolumus atque contendimus, quod l. 8. C. d. R. V. scriptum est, id ad nostros milites in Germania hodie applicari et posse, et debere, nec magis habendam esse pro abrogata, uel nunquam recepta, quam alias, quae ab uno uel altero tales esse dicuntur, sed non probantur, ut par erat, exemplis et rebus iudicatis.

(2) *Hereditatem circa quā* *sunt priuilegia, recensentur distin-*

§. VIII. Proxima pugna est de priuilegiis, quae militibus circa Ius Hereditarium, speciatimque eius modum defensione data sunt, rendi per ultimas uoluntates, collata sunt. Sunt ea numero complura. alia generaliora; alia specialiora. Ad illa pertinet, quod miles plura testamenta facere potest, eaque omnina ualent, nec ut in paganis, prius per posterius infirmatur, nisi id militem uoluisse probetur, l. 19. d. test. mil. j. §. 2. I. quib.

quib. mod. test. infirm. itemque miles codicillis directo hereditatem dare potest, l. 36. D. d. test. mil. quam paganus non potest, §. 2. l. d. codicill. Specialiora pertinent uel ad formam testamenti, eamque uel *intrinsecam*, uel *extrinsecam*; uel ad effectum. Quae ad *formam intrinsecam* pertinent, uel *testatorem* respiciunt, uel *heredem*, uel *modum institutionis*. Primi generis priuilegia sunt, quod miles ex militari delicto capite damnatus testamentum facere super bonis castrensisbus potest, idque iure militari, nisi sacramenti fides rupta sit. l. 11. d. test. mil. cum paganus contra ad ultimum supplicium damnatus testamenti faciendi facultate destituatur, a. l. 29. d. poen. j. l. 1. ad L. Falcid. quod miles de statu suo dubitans et incertus testamentum facere potest, l. 11. §. 1. d. test. mil. paganus non potest, l. 15. qui test. fac. poss. item quod et mutus et surdus miles testamentum facere potest, §. 2. l. d. mil. test. idque iure militari, l. 4. d. test. mil. etiam qui talis simul est, scilicet ex accidenti, non natura, u. l. 10. C. qui test. fac. poss. quod difficilius procedit in pagano, tam ratione facultatis testandi, quam principis rescripto impetrare debet; a. l. 7. qui test. fac. poss. quam solennitatum, quas adhibere necesse habet, l. 8. C. qui test. fac. poss. Quae *heredem* respiciunt, uel *personam* respiciunt, uel *numerum*, uel *obligationem*. Ad *personam*, seu *capacitatem*, respicit priuilegium, quod est in l. 13. §. 2. D. d. test. mil. de *institutione deportati*, uel *alterius*, qui *testamenti factionem* non habet. Ad *numerum*: quod possit miles tam in *paganis bonis*, quam in *castrensisbus*, l. 18. d. *uulg. et pup. subf.* directo *heredem* *hereditatem* substituere, non solum filio impuberi, etiamsi sibi ipsi testamentum non fecerit, l. 41. §. ult. d. test. mil. sed et filio puberi, et extraneo in casum mortis, in bonis, quae ab ipso ad eum peruerentur. l. 5. l. 41. §. 4. cod. quorum nullum pagano directo licet, sed ambage *fideicommissionis* opus habet. Ad *obligationem*: quod heres a milite *institutus* legata et *fideicomissa* praestare teneatur sine *dtractione* Quartae Falciae,

diae, l. 17. §. ult. d. test. mil. l. 17. D. et l. 7. C. ad L. Falcid.
 uel Trebellianicae, l. 1. §. 18. ad Sct. Treb. Ad modum institu-
 tionis spectat insigne priuilegium, quod miles potest her-
 redem ex certa parte scribere, sic ut cetera bona ad legit-
 imos heredes deferantur, l. 6. d. test. mil. §. 5. I. de her. insit.
 uel etiam plures heredes ex certis rebus l. 17. d. test. mil. quo
 casu id amplius singulare est, quod ius accrescendi cessat, nisi
 qui id urget, probauerit, militem testatorem, altero recusante
 hereditatem, uel mortuo, ad alterum totam hereditatem
 pertinere uoluise, l. 37. D. d. test. mil. item quod miles here-
 redem ex certo tempore, uel ad tempus instituere potest, l.
 15. §. 4. l. 19. §. ult. l. 41. D. et l. 8. C. d. test. mil. paganus
 contra non potest, l. 34. d. hered. insit. Atque hoc est, quod
 dicitur, militem pro parte testatum, pro parte intestatum dece-
 dere posse, §. 5. I. d. hered. insit. paganum non posse l. 7. d.
 R. I. Ad effectum testamenti, seu ad id, ut subsistat, per-
 nent tria maxima priuilegia. Unum, quod miles praeteri-
 ens in testamento liberos, quos se habere non ignorat, eos
 exheredasse intelligitur, idque iure, §. pen. I. d. exhered. lib.
 l. 12. pr. d. bon. libert. l. 9. C. d. test. mil. nec testamentum que-
 rela inofficiosi infirmari potest, l. 27. §. 2. D. l. 9. C. d. inoff.
 testam. nec agnationale posthumi, quem conceptum miles testa-
 tor non ignorauit, rumpitur, l. 7. d. test. mil. Alterum: quod
 miles nuda uoluntate hereditatem adimere potest, et testamen-
 tum infirmare, l. 15. §. 4. d. test. mil. Tertium: quod testa-
 mentum a milite iure militari factum intra annum post mis-
 sionem ualet. §. 3. I. d. mil. test. l. 21. D. eod. Denique ad
 formam extrinsecam pertinet amplissimum priuilegium, quo
 militibus solennitates testamentariae remissae sunt, atque
 concessum, ultimam condere uoluntatem quoquo modo,
 seu quomodo uoluerint potuerintue, siue per scripturam sine
 testibus, dummodo de scriptura, quod militis sit, constet,
 siue per nuncupationem, coram testibus tamen minimum
 duobus, §. l. I. d. mil. test. j. l. 12. d. test. Nou. 107. c. l. et Nou.
Leon.

Leon. 4. pr. Conf. CVIACIVS Consult. 40. Op. Pr. T. I. p. 699.
etiam, quando in scriptis, per notas, l. 40. D. d. test. mil. sic ut
detur bonorum possessio secundum tabulas, quae non da-
tur, quando pagani tabulae notis scriptae sunt. l. 6. §. 2. d. bon.
poss. d. Nou. 107. c. 1. ad eamque CVIACIVS, O. P. T. II. p. 544.
et Consultat. 36.

§. IX. De his ergo priuilegiis uaria ratione concerta- *Ventilan-*
tur. Partim a fronte, partim a latere impugnantur et pro-
pugnantur. Dissidentes alia desiisse priuilegia esse; alia (a)directo.
nunquam recepta, uel reiecta, contendunt. Nos intrepide
excipimus iactus atque regerimus. Desiisse in numero pri-
uilegiorum esse uolunt facultatem testandi de bonis castren-
ibus damnati ad supplicium militis, eo quod recentioribus
Germanorum moribus omnibus capite damnatis beneficium
faciendi testamenti indulgeatur, exceptis solis, qui criminis
laesae maiestatis damnati sunt: Nos id largimur ambabus
manibus. Sic enim dubitantes de morum et consuetudinis
uniuersalitate eo minus causam habent denegandi mi-
litibus nostris triste solatium, quod etiam aliis, qui nulla
militiae merita p[ro]ae se ferunt, uix posse denegari ui-
deatur. Sed quibus paululum concessimus, ii mox urgent
dubitantis, *insolentius, et illud quoque de milite incerto, cum testatur,*
an sui juris sit, in similem conditionem postulant, quasi et
cum pagano moribus benignius agatur, nec patriae potesta-
tistantae sint hodie uires, quantae olim, inde ad surdum quo-
que et mutum, et alia progressuri. Nos satis habemus id
intellexisse, non cedimus amplius latum unguem. Ratio,
quod paganus de statu incertus testamentum facere
non potest, conceptis uerbis habetur in l. p[ro]ae. 14. qui
testam. fac. poss. quod, qui incertus de statu suo sit, certam le-
gem testamento dicere non possit. Sic ergo scriptum est, nec
potest clara litera adhibita omni vi ex Corpore Iuris eradicari.
Miles autem optimo iure eximi a regula potuit, qui plane a
nexus patriae potestatis eximi, quod ad effectus ciuiles, potuisset.
Nec dubitandum, quin in Germania patriae potestati suum hodie

robur constet, nec possit testamentum facere, qui sui iuris non sit, quia de eo ipsa rerum argumenta loquuntur, et praestantissimi viri, quos supra laudauimus, fidem faciunt.

De Priu. restandi Tela sumiserunt ex historia Iuris Germanici: olim apud Germanos testamentorum usum fuisse nullum, postea, ubi tricis Romanae Iurisprudentiae antiqua Germanorum simplicitas inuoluta sit, rarum, hodie maiorem praetendi, quam per rationes patrii iuris, quod aequitatem et simplicitatem naturalem sequatur, concedi possit. Hisce fundamentum totius doctrinae testamentariae subruere conantur, ut lapsu subtilitatum Romanarum in testamentis paganorum, simul militum priuilegia testamentaria concidant. Sed magis speciosa tela sunt, quam ualida, franguntur cum scuta tangunt, quia uetus statis rubigine exesa sunt. Accedit, quod tela praeuisa minus nocent. Praeuide re licuit in primis ex SCHILTERI ad Pandectas Exercitationibus, II. Tb. 14. et XIV. Tb. 2. et seqq. Sed tanto minus horruimus, quod et alia animaduertimus, quae eadem Exercitatione XIV. Tb. 38. et seqq. et Ex. IX. Tb. 9. continentur. Sane fora nostra et iudicia plena sunt caussarum et controuersiarum de testamentis et ultimis uoluntatibus, manifesto indicio, immutatos esse mores Germanorum, nec in alia re magis, quam in capite de supremis iudiciis Romanorum instituta seruari. Neque uero haec dici possunt patro iuri repugnare, quae eo non prohibita sunt, sed potius non uno loco confirmata; uel aequitati aduersa esse, cum nihil magis aequum sit, quam ut supremae uoluntatis, postquam iam aliud uelle non possumus, certus sit stylus, et uerum, quod non redit, arbitrium. Quanto magis dolo et fraudibus caussa testamenti et ultimi iudicij subiecta est, tanto et diligentius praescriptis solennitatibus caendum fuit, ut eius esset iudicium, cuius esse perhibetur; tantoque subtilius atque acutius interpretandum, ut constet, quale sit, de quo, cuius sit, non dubitatur.

Genera-tim.

§. XI

Sed instant Dissentientes pertinacius, et urgent Speciatim
 speciatim Constitutionem Germanicam Maximiliani I. d. A. 1512. ex R. I. d.
 de Notariis, Tit. II. de testamentis, cuius §. II. expressis uerbis
 constitutum sit, ut milites, qui in expeditione sint, sed extra conflictum, facere testamentum debeant coram duobus testibus; illi uero, qui ne quidem in expeditione sint, non aliter facere, quam communi iure, possint. Ex quo porro inferunt, milites nostros in castris non nisi coram duobus testibus testari; in hybernis, statius, praesidiis urbium uel castrorum constitutos testamentum iure militari facere non posse. Praeuidebamus, haec Dissentientes fore allatuos. Sed qui nunquam animum induximus, aliquid ex Romano iure vindicare, quod patrio repugnet, declaramus, quanquam uerbum expeditionis latius patere uideatur, et ad hybernas quoque et aestiuas, et praesidia pertinere, eamque sententiam maximi uiri, D. GOTHOFREDVS, SCHILTERVS, et alii, in primis CVIACIVS Consult. 49. teneant: tamen quia non de uerbis, sed rebus pugnemus, nos sponte concessuros, hac conditione, ut nostris quoque militibus, quando in conflictu sunt, siue in praelio, siue in obsidione, siue in castris, sine testibus testamentum facere liceat, quomodo uoluerint et potuerint, secundum l. 15. C. d. test. mil. ut uagina uel puluis sit pro charta, sanguis pro atramento, gladius pro stylo, itemque iure militari testari liceat, quando in hybernis quidem sint uel statius, uel praesidiis, sed ita, ut hostis immineat, et semper paratos, et uelut in procinctu, esse oporteat. Neutrum horum, quae postulamus, iniustum est: probat utrumque et Legislator Germanus non obscure eodem illo loco, et clarius interpretum praestantissimi, SCHILTERVS, HOPPIVS, CARPZOVIVS, FINCKEL THVSIVS, et alii, ut notum est, confirmant.

§. XII. Qua ratione quos delimitum iri sperabamus, ii De Prin. iam nos alacrius premunt, et ex eo, quod concessimus, milites nostros in hybernis, aestiuis uel praesidiis regulariter iu- prætere- undi libe-
 re ros.

re militari testari non posse, Romanos autem milites potuisse, inferunt, illorum militum testamenta querela inofficio-
 si impugnari posse, quando liberi praeteriti fuerint. Eheu! Siccine ipsimet aduersarios contra nos nostra benignitate ar-
 mauimus? Quantum hoc est priuilegium, posse liberos here-
 des scribere et non scribere? posse meminisse et praeterire?
 quanta iactura id amisisse? At cum his tamen mitius agemus,
 quia modestius instant, et spes est, tandem sponte ad nostra
 castra transituros. Opponimus Legem 9. C. d. inoff. testam.
 qua certum ius esse dicitur, de inofficio testamento militis,
 uel iure militari, uel ciuitati facto, filios queri non posse. Iam
 sentiunt, quid uelimus, et replicant, Romanis militibus in
 hybernis uel praesidiis collocatis liberum fuisse, quo iure uel-
 lent testamentum facere, militari an communi: nostros au-
 tem solo communi posse, militari non posse. Quasi uero
 omni dubio caret, quod ex aliorum magis sententia retu-
 limus, milites Romanos in hybernis, statuis, praesidiis, iure
 militari testamentum condere potuisse? aut quasi priuilegi-
 um praetereundi liberos a facultate testandi iure militari, id
 est sine solennitatibus, dependeat, nec diuersum priuilegi-
 um sit et separatum, quod suo libratum pondere ualeat, nec
 tamen aliis, quam militibus competit, nec ualeat, quemad-
 modum nec alia priuilegia militaria, ultra annum missionis.
 l. 8. §. 3. et 4. D. d. inoff. testam. j. l. ult. §. 1. C. eod. aut quasi
 milites nostri, dum in hybernis uel praesidiis degunt, mili-
 tes esse desierint? Sed cum his fortassis incassum digladia-
 mur. Est enim alia cohors, quae grauius et atrocius instat,
 nullum ueniae locum relinquens, sed ui et impetu hoc
 idem priuilegium ceu impium, ceu iniustum, et ipsirationi
 aduersum ex iure et foro extirpandum, eiiciendum, et iam
 tum eradicatum eliminatumque contendit. At enim ue-
 ro minas et uerba nihil timemus: ictus et uerbera exci-
 pere didicimus. Aiant impium esse, aiant iniustum,
 et rationi aduersum, quod ipsi iuri naturali, uniuerso mor-
 tali-

taliū generi immutabili ratione p̄aeschriptō, manifeste repugnet, bona, hereditatem eripi liberis a parentibus, quos arctissimo amoris et sanguinis uinculo natura ipsa coniunxit. Non ignoramus, dari ius omnib⁹ hominib⁹ natura insitum: fatemur quoque, esse uinculum non leue, quo parentes liberique constricti sint: negamus, obligari parentes naturali iure ad relinquendū liberis, non dicam omnia bona, non maximam partem, sed ne obulum quidem, si liberi aliunde habeant quo uiuant, et in commodum reipublicae possint educari: si non habeant, ad plus, quam ad id, quod diximus, necesse sit. Miraris audaciam? quid timeamus? Principes Moralistarum a nostris partibus stant. PVFENDORFIVS in *il-lustri Opere de I. N. et G. Lib. IV. C. II. §. 4. et seqq.* praeter alimenta liberis iure perfecto nihil deberi contendit, quem multi alli securi sunt: imo, quod mireris, Moralistarum nostrarium dux et antesignanus, H. GROTIVS in *II. de I. P. et P. libro, cap. 7. §. 4.* haec alimenta ne quidem ad ius suum expletorium referre sustinuit: et quod adhuc magis, hanc GROTI sententiam severissimus ipsius censor, IO. FELDENVS comprobauit. Quodsi ergo cum ZIEGLERO *ad dictum locum GROTI*, et HERTIO *ad illum PVFENDORFI* concedamus, tantum liberis militum relinquendum esse, quantum alimentorum nomine contineatur, et, si relictum non sit, nec liberi aliunde habeant, forte a matre vel aliis, peti, non quidem inofficiosi querela, sed iudicis imploratione, posse, quam iniuriam habet praeteritio? quam iniustitiam pruilegium? quare extirpandum ex iure? quare exterminandem e foro? At hoc iam factum est. Factum est? quomodo et quando? Moribus hodiernis. Moribus hodiernis? quibusnam? Moribus Germanorum id factum est. Germanorum? Imo et aliorum. Ergo omnium Gentium? cheu perdidi-
mus! Antequam tamen uictas damus manus, conabimur omnia. Vbi sunt praeiudicia? ubi res iudicatae? non memini-
mus ullius, quantum in hac perturbatione longissime mens
potest respicere, et uolitare per magna maximorum uolu-

mina Pragmaticorum? his talibus nihil opus est. Nihil opus est? ergo mores esse possunt sine frequentia actuum? Sed credendum tamen Doctoribus. Quid ni? sed magis credendum est legi. Lex clara est et indubitata, et typis plus quam centies millies exscripta: et amplius nobiscum *Perillustris* L. B.A LYNCKER in *Analectis ad Institut. Iustin.* L. 2. T. II. pr. et ad *Struu. ad. Dig.* L. 5. T. 2. tb. 39. non obscure facit. Ergo iam reddit nobis animus, crescent spiritus, hoc uolumus atque contendimus, si hodie contigerit casus, ut miles testamento praeterierit liberos, secundum ea quae diximus, heredes scripti habeant fundatam in Iure Romano intentionem, donec aliud moribus introductum esse legitimis probationibus ostendatur. Cuius rei consequens est, ut et actuum frequentia ex rebus iudicatis doceri, et quod caput est, in nostra Saxonia lapsus triginta annorum cum additamento probari debeat.

(e) per in-
directum

§. XIII. Dum sic a fronte uaria fortuna dimicatur, pars Dissentientium deflexerunt in latera nostra, et confundendo conantur efficere, quod caedendo se posse desperant. Hi sunt ueteres Glossatores, et qui horum familiaritate gaudent, aptiores ad confundendum ius, quam enucleandum et explicandum, sed ita tamen procaces, ita ad pugnam procliues, ut iam nullum caput iuris sit, nulla quaestio, quae non in utramque partem uentilata atque asserta sit, nulla sententia tam absurdia, quae non suos habeat propugnatores. Atque hi sustinent ipsa priuilegia militum Romanorum in disceptationem uocare, qualia sint, quomodo intelligenda, quoisque extendenda, uel restringenda, an Iure Nouellorum mutata, et quae id genus sunt alia. Sic enim, quae coangustata uel sublata ipsorum Romanorum militum priuilegia constat, de iis frustra pugna futura est, an ad nostros milites possint uel debeat applicari. Sed his iam iam praeuerimus, quando diximus supra, non omnia, quae de amplissimo argumento dici possent, angustis unius dissertationis terminis

nis includi posse. Sufficit nobis in praesenti, si hoc obtinuerimus, tantum militibus nostris indulgendum, quantum Romanos habuisse tempore Iustiniani ex Iure probari possit: sufficit hoc, quantum fuisse existimemus, non obscure, quamquam breuiter, indicasse: de quo non putamus quidquam Nouellis mutatum esse. Neque uero timemus quemquam, sed ipsi aduersariis suppeditabimus, de quo nunquam cogitasse uidentur, quia altum de eo in libris ipsorum silentium. Duximus, milites codicillis posse directo heredem instituere: et ita lege, quam adduximus, scriptum est. Sed quomodo huic priuilegio locus esse potest, cum omnes solennitates tam testamenti, quam codicillorum, uel alterius ultimae uoluntatis remissae sunt? unde constabit, non esse testamentum, sed codicillos? Putamus tamen, non de nihilo priuilegium esse, habito respecto non ad id, quod miles facere potuisset, sed ad id, quod fecit. Quid enim si expressis uerbis se codicillos condere dixerit, siue communi iure condiderit, adhibitis quinque testibus, *i.e. C. d. inoff. test.* siue iure militari? sane si, cui rogandus erat heres ab intestato hereditatem restituere, eum directo heredem scriptione, dubitari poterat, an scriptio procederet, nisi priuilegio permisum esset militi directo heredem scribere? Quibus suppositis id iam amplius quaeri potest, an dispositio Recessus Imperii, quae modo in disceptatione fuit, de faciendis testamentis in castris coram duobus testibus, in hyberniis, aestiis, praefidiis secundum ius commune, ad codicillos pertineat? Plane ille §. 2. de testamentis loquitur, et quia ius correctorium continet, quid aliud dicendum uidetur, quam stricte de solis testamentis accipiendum esse? et tamen uerendum, ne si id admittamus, uim legislatoris voluntati faciamus, qui id constitutio ne complecti uoluisse uidetur, ne militi aliter scribere heredem, quam in castris coram septem testibus liceat. Elige ipse sententiam, quam uelis: nobis certissima uidetur, non uacare dubio, quamcunque elegeris.

§. XIV.

*De P. M.**circa**(B) IUS**AD REM.*

§. XIV. In altera parte ex iis, quibus diximus de priuilegiis militaribus ex iure Rerum pugnam esse, concertatur de iuribus ad rem, de obligationibus, ex factis licitis et delictis, constituantur et dissoluendis, ex pactis et contractibus.

Sunt enim haec Iure Ciuiili distincta, quamvis Naturali Iure nihil differant, quam sano nominis. Unde et H. GROTIUS in *H. de I.B. et P. libro, C. XI. et XII.* promiscue obligationes ex actu simplici vel mixto, simplici vel benefico, vel permutatorio, benefico vel mere tali, vel cum mutua obligatione coniuncto, deduxit.

*(1) in Pa-**ctis**Successo-**riis*

§. XV. De pactis militum constitutum est Iure Ciuiili, ut etiam de mutua post mortem successione iniri possint, quae inter paganos inualida sunt *l. 19. C. d. pact.* ut filiis familiis milites donare possint de peculio castrensi, tam inter uiuos, *l. 7. §. ult. d. donat.* quam mortis causa, *l. 15. d. mort. caus. don.* De pactis ergo successoris disceptatur, an etiam a nostris militibus ivalide ineantur? Neque enim desunt, qui prohibitionem Romani Iuris de pactis hereditariis ad nostra tempora trahunt et applicant. Enim uero ab his non multum nobis periculi imminet. Nam nec satis pacta de conseruanda vel restituenda hereditate pacientium propria, ab aliis de acquirenda vel omittenda, et haec in uniuersum ab illis de hereditate tertii distinguunt: nec etiam si indistincte Iuri Romano in foro Germanico locum concederemus, causa esset, quare pars illius iuris, quae militum pacta de mutua successione confirmat, excludi debeat. Plane si quis distingue et accurate argumentum de pactis hereditariis tractauit, tractauit Vir Magnificus, DN. D. HORNIUS in *Iurisprud. Feud. Cap. XVI.* §. 16. et 17. quorum summa eo redit, ut pacta de hereditate tertii, siquidem de tertii uiuentis, certi, et ignorantis inita sint, non solum de I. Romano non ualeant, sed et uerius sit, ne quidem moribus et iure hodierno ualere: pacta uero de propriis pacientium hereditatibus, siquidem de conseruanda vel restituenda hereditate facta sint,

I. tam

I. tam Romano, quam hodierno: sin de acquirenda uel omitenda, I. non Romano, sed Hodierno ualeant. Quamquam autem hac ratione beneficium d. l. 19. C. d. pac*t.* militibus indulatum commune factum, et priuilegii nomen amississe dicendum est: tamen milites hanc praerogatiuam habent, ut ipsi indubitate de mutua successione pacisci possint, paganis aliquando controuersia moueri possit ob dissensum eorum, qui cauſarum decidendarum potestatem habent.

S. XVI. Amplius de donationibus disceptatur, an *Donatio-*
tantum de caſtrenſibus bonis militis celebrari possint, ut *nis.*
uerba legum habent; an de omnibus? Nos propugnamus, de
omnibus posse, si miles sui iuris sit, de caſtrenſibus tantum
posse, si sit filius familias, et hunc casum uerbis legis, alterum
ſententia contineri: atque ſic facile Difſentientes repellim-
us. Sed tentant nouum impetum: donationes militum fe-
cundum ius commune fieri oportere, minimum quae de aliis,
quam caſtrenſibus bonis fierent, et conſequenter donatio-
nem inter uiuos, si quingentos aureos excedat, insinuari actis
interuenientibus debere, *§. 2. I. d. donat.* donationem mortis
cauſa coram quinque testibus celebrari oportere, *l. ult. C. d.*
mort. cauſ. donat. At his etiam non multum diſſiciliori ope-
ra reſiſtimus. Mortis enim cauſa donatio illa ipſa *l. 15. de*
mort. cauſ. don. ad exemplum legatorum reuocata, et in *l. ult.*
C. eod. ultimis uoluntatibus exaequata atque annumerata eſt.
Donationem autem inter uiuos ultra quingentos aureos, ſi
iudicialiter insinuata non ſit, non ualere, in quantum ſcili-
cet illam ſummam excedit, etiam lucro militibus et fauori
cedit, ſiquidem exiſtimetur, eiusmodi donationem non ipso
iure, nec officio iudicis, ſed uoluntate donatoris uitari, quod
cum **TIRAQVELLO** recte afferuit **BRVNNEMANVS** *ad l.*
27. D. de donat. n. 10. ſi cui uero aduersa ſententia magis pla-
ceat, is neceſſe habebit militem a neceſſitate insinuationis
abſoluere, quia a mero Jure Ciuiili eſt, quod militi ignorare
licet.

licet. De usu hodierno hic nullum certamen, nescio, an eo, quod casus donationis inter uiuos rarer uisus: de priuilegiis autem circa ultimam uoluntatem, quo etiam donatio mortis causa suo modo pertinet, iam satis alio loco pugnatum est.

(2) *in Contractibus, dis in disceptatione uersatur, utrum nostri etiam milites de fideiuisione non teneantur, uti Romani, per l.31. C. d. locat. l.8. §.1. qui satisfid. cog.* Nos hic manifeste superiores sumus. Quod enim mutatum non est, quare stare prohibeat? non autem esse mutatum, cum BACHOVIO et SANDIO, prae-iudicium afferente, testatur Perillustris L. B. a LYNCKER in *Anal. ad Struu. S. I. C. L. 46. D. T. I. tb. 37. De dissoluendis contractibus* quae disceptantur, plura sunt, quatenus miles uel creditor est, uel debtor. Quatenus creditor est, de eo concertatur, si creditum ui et facto exegerit, aut eo nomine rem aliquam debitoris occupauerit, an poena l. 7. C. unde ui teneatur? MEVIVS cum asseclis id animose asserit *Dec. 218.* P. 4. nos nihil timidi repugnamus. Aiunt: militem in iis, quae I. Naturali improba sint, ignorantia non exculari: nos oculos animumque habemus attentum, quid inde futurum sit. Pergunt: ex numero illorum esse inuasionem reialienae, utut sibi oppignoratae. Nos adhuc Dissidentes magis caute obseruamus, quam laboriose contundimus. Producunt legem l. §. ult. d. *furtis*, et ea se sustinent corroborare. Iam ergo prorumpimus: sed animaduertimus statim, nihil in ea esse, quod nobis nocere possit. Agit de contrectatione rei fraudulosa *lucri faciendi gratia*, eamque ait Iure Naturali prohibitum esse admittere. At uero qui ob causam crediti aliquid ex debitoris bonis occupat, non lucrum quaerit, sed id quod sibi debetur. Itaque propriis ingenii uiribus uti coguntur. quibus, quantae etiam sint, non plus efficere possunt, quam non obscurum ex dictamine rationis uideri, neminem, in repu-

republica bene constituta sibi ipsi ius dicere debere. Enim uero his leuiter affligimur, non penitus prosternimur. Militi enim, quamuis scire oporteat, nihil posse ciuem ciui sine iudiciali auctoritate, etiam iuris persequendi causa, auferre: tamen legem ciuilem, poenam amissionis crediti, uel grauiorem fancientem, eo magis ignorare licebit, quod palam sit, facilius condonari militibus posse, si

Non ex iure manu consertum, sed mage ferro

Rem repetunt, regnumque petunt, uadunt solidam;
 quia eo ipso, dum officium faciunt, et reipublicae caussa nihil aliud quam arma tractant, numerisque et signis suis iugiter inhaerent, et crebris cum hostibus certaminibus rem publicam ab omni bellorum necessitate defendunt, *l. 31. C. d. locat. et cond.* aliquantum prouiores ad uim et uiolentam iuris sui executionem reddi solent. Et qui prosterni possimus, qui iure ipso, lege nempe *5. C. d. bis qui sibi adscribunt*, sustinemur, qua Imperator Alexander Galieno militi, qui in testamento commilitonis sibi seruum adscripterat, rescribit, seruum quidem pro non adscripto habendum, at poena *L. Corneliae ipsum afficiendum non esse*, quia in eam magis errore, quam malitia incidisse uideatur? Quatenus autem *miles debitoris partes sustinet*, cum Iure Romano certum sit, uaria ipsi priuilegia competere, quod habeat beneficium competentiae, *l. 6. et 18. d. re iud.* quod stipendia propter debita retineri non possint, si alia ratione executio rei iudicatae fieri possit, *l. 4. C. d. execut. rei iud.* quod regulariter ad probandam indebiti solutionem non teneatur, sed qui accepit, probandum habeat, se debitum accepisse, *l. 25. §. 1. et 2. d. probat.* id magis in certamen uenit, an milites nostri iisdem priuilegiis gaudeant? Nos nulli dubitaremus id afferere atque defendere omnibus modis, si opus esset. Sed quoniam et ab aduersariis nobis in tam facili et explicata causa non multum periculi imminet, et pro nobis ipse usus fori milit-

tat, properamus ad alia, et uires in proximum certamen reseruamus.

(3) in deli-
ctis et poe-
nis.

§. XVIII. Iam enim de iis quoque priuilegiis pugnandum est, quae militibus circa delicta et poenas indulta sunt, ne furca suspenderentur, ne damnarentur in metallum, ne quaestionibus subiicerentur, l. 3. §. 1. et 10. d. re milit. licet non emeritis stipendiis suis, honeste tamen, dimissi sint, l. 8. C. d. quaeſt. item ne in poenam commissi incidenter, quando merces profecti non essent l. 3. C. d. uectig. et commiss. Quae quidem pugna quam maxime feruida futura est, quia Diſſentientes huic maximum robur contulisse, nosq; propemodum ex omni parte quasi hostilibus copiis et telis cinxisse uidentur. Ab una parte nos ex *Ordinatione Criminali Caroli V. art. 159. et seq.* et *Constitutione Electorali Saxonica XXXII. Partis IV.* quasi ex machinamentis impugnant, eo quod generaliter, non exceptis militibus, furibus pro qualitate circumstantiarum et delicti, supplicium suspendii dictitent. Vbi adhuc amplius metuendas habemus insidias Fori, ne dum machinamenta illa oppugnamus, rerum forensium peritissimi prorumpant, atque euincentes, etiam milites ob furtum suspensos esse, moribusque maxime tritum et frequens supplicii militaris genus esse suspendium, eo insignorem stragem edant. Ab alia parte maxime numero aduersariorum premimur, negantum, milites nostros a tormentis immunes esse, quorum non nisi pars a GROENEVVEGENIO in numeros relati sunt, ad l. 8. C. de quaeſt. Sed id terret maxime, quod CARPOZIVS et BRVNNEMANNVS nostras partes deseruisse uidentur, quorum alter in *Pr. Crim. Quaeſt. 118.* cum primum n. 73. quaeſtiuſſet, num et milites nostri temporis iure exemptionis a tormentis fruantur? et affirmatiuam sententiā non solum promte elegiſſet, sed et strenue propugnafſet, ab antiquis asserēns Romanorum militibus nihil difſerre noſtræ aetatis milites: ſuſtinere quippe eadem pericula, finem

finem ipsorum eundem esse, propulsionem nempe hostis, et conseruationem uel recuperationem rerum, et eapropter indignabundus quaerens, quare non ipsis eadem tribuenda sint priuilegia? sibi uideri, qui in prouinciu uersentur, qui eadem pericula experiantur, iura quoque eadem sibi merito vindicare: mox uero n. 74. quae dixerit, quae fecerit, ad equites et capitaneos, aliosue, de quarum uirtute militari constet, restringit, milites gregarios uero et nescio quos alios, miseros periculo atque arbitrio aduersariorum relinquit: alter *in Comm. ad Cod. Leg. 8. d. quaeſt.* cum coniunctis cum FARINACIO et ZANGERO uiribus asseruiffet, nec hodie facile milites torquendos esse, mox se cum CARPOVIO consociat, et amplius etiam in fine, WISSENBACHII auctoritate compulſus, concedit, milites hodie etiam non gregarios super suo crimine torqueri solere. Sed et ab alia parte cum illis nobis res est, qui priuilegia de immunitate a poena commissi, a damnatione ad metallum, ad nostra tempora applicari non posse contendunt, etiam si cum damnatione ad metallum apud nos die *straffe des Baues* non male comparari uideatur, quia usus et exempla eorum, quos militia ab hoc poenae genere tutos non praestitit, nobis repugnant; poena commissi autem a Germania tribus illis uelut propugnaculis arceatur, *Iure Prouinciali Saxonico Lib. 2. art. 27. et I. P. Sueuico Cap. 200. et I. Lubecensi P. 2. T. 3. a. 6.* sustinente defensoris partes summo uiro, IO. SCHILTERO *Ex. ad π. XLII. Tb. 61. et seq.* *Qui-*bus angustiis constituti haesitamus, ponere arma, an desperanter pugnare, an uero caute pugnantes regressum quaere-re debeamus? Victoria dare manus intempestiuæ timiditatis uidetur, quia nec resistendi, nec euadendi spes omnis praecisa est. Extrema tentare, et uictoriā ambire omnibus numeris absolutam, audaciae magis, quam uirtutis opus fuerit. Ergo medium consilium optimum. Regerimus, constitutionem

Imperiale atque Saxoniam esse generales et posteriores, dispositionem Romani Iuris de non suspendendis militibus priorem et specialem: iam autem tralatitium esse, ius prius speciale per posterius generale non tolli, imo ipsam *Ordinat.* *Crimin. art. 160.* uelle, ut conditionis personae, quae furtum fecerit, ratio in statuenda laquei poena habeatur; et amplius, usum poenae laquei magis in delictis et punitionibus militaribus conspicere, quam in ciuilibus, itemque in inferioris conditionis militibus: quid si autem superioris ordinis miles in tantam calamitatem inciderit, ut uita laqueo finienda sit? CARPZOIVM et BRVNNEMANNVM a nobis non adeo alienos esse, recusare pro gregariis militibus pugnare, pro aliis, qui ad ordinem superiore pertineant, ad omne discriumen subeundum paratos esse. Neque illud, quod BRVNNEMANNVS in fine dixit, sinistre interpretandum esse, sed de grauioribus delictis, quae ipse paulo ante appellari, accipendum, quia et Iure Romano in aliquibus de militibus et aliis priuilegio exemptis quaestio haberi potest. Nec numero hostem aestimandum esse, sed uirtute, in primis si exteri immixti sint, experegrinis regionibus magis coacti, quam lecti. Poenae commissi an in Saxonia locus sit, antea dubitatum esse, affirmante MOD. PISTORE *Vol. 2. Conf. 48. n. 16.* negante CARPZOVIO *4. 41. 15.* iam constare, in quibusdam rebus locum habere, concedente ipso SCHILTERO *d. l. §. 63.* nec dubium esse, in multis locis Germaniae obtinere. Ergo nec spernendum priuilegium militare, nec casu contingente reliquendum, sicuti contrarium lege uel moribus introductum non constet, nec in poena *des Baues* irroganda plane negligendum uideri. Sic nos pugnantes et resistentes paulatim recipimus, per uiam, quam pandit *l. 9. §. 11. D. d poenis.* Dat enim ansam suppeditandi consilium, si miles, praesertim non insimi ordinis, eiusmodi sententia affectus fuerit, qua tormentis subiici, uel furca suspendi iubeatur; aut ad

ad poenam commissi tahatur, uel ad illam *des Banes* damnetur, ut rem ad principem referri curet, ut ex eius auctoritate corrigatur, poenaque aut permutetur, aut liberetur.

§. XIX. Iam in proximo est aut uictoria aut clades. VI-
timo enim loco decertandum de priuilegiis militaribus, quae *Actionū*.
ultima parte Iurisprudentiae Romanae, quae circa tertium *Priuilegia*
obiectum Iuris, actiones, occupatur, continentur. Actio
uel *intrinsecus* spectatur, uel *extrinsecus*. *Intrinsecus* spectata, Recensem-
seu ratione originis et naturae suae, definitur ab Imperatore pr. tur.

1. i. de *Action*. quod nihil aliud sit quam ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur. *Extrinsecus*, seu ratione executionis et introductionis in iudicium spectata alieno vocabulo uocatur iudicium. Vnde phrases; iudicio familiae herciscundae, communi diuidendo experiri, defistere, et aliae. *Priori respectu* militi priuilegium datum, ut habeat semper, etiam in uito patre, actionem de peculio castrensi, l. 4. §. 1. d. pet. casir. cum contra filius familias paganus plerumque pro peculiorum diversitate uel per patrem, uel cum consensu patris agat, l. 9. d. O. et A. l. C. d. bon. matern. l. ult. C. d. bon. quae lib. *Posteriori respectu* plura priuilegia competit, quatenus iudicium uel *proprium* est, uel *alienum*, et in illo, quatenus uel *personae*, quae iudicium faciunt, actor, reus, iudex, spectantur, uel *modus litigandi*, qui processus appellatur. In *alieno* iudicio miles inuitus testimonium dicere non cogitur, l. 8. d. ref. j. l. 3. §. ult. eod. procurator autem interdum esse potest, quando contra eum ante litis contestationem non excipitur, l. 13. C. d. procur. aut quando procurator est in rem suam, l. 9. C. eod. In *proprio* iudicio non tam quatenus actoris partes tenet, priuilegiis gaudet, quia sequitur forum rei, l. 10. C. d. bis qui accus. non poss. et ad accusationem plane non admittitur, nisi criminis laesae maiestatis, l. 7. §. 1. ad L. *Iul. mai*. uel nisi suam suorumque iniuriam exequatur, l. 8. C. d.

t. de

t. de his, qui accus. non poss. quam potius, quatenus rei onus sustinet. Nam habet, ut notum est, forum singulare, quod militare audit, et si coram alio iudice quam militari conueniatur, fori reuocationem, quae et praescriptio, vulgo exceptio, appellatur. Quod ad modum procedendi in iudicio, integrum est militi exceptiones peremptorias, quas in litis contestatione per incuriam omisit, etiam post rem iudicata allegare. l. i. C. de iur. et fact. ignor. itemque amplissimo beneficio restitutionis in integrum gaudet. t. t. C. de restit. mil.

*Ventilan-
tuz prae-
cipua.*

*De foro
Militari.*

§. XX. Inprimis autem de foro militari et restitutione in integrum pugna futura est, sed dissimilis. Nam quod ad alterum attinet, magis consilio, quam uiribus opus est. Nam ipsi dissentientes legum obstantium perplexitate confusi contra se arma uerterunt. Alii contendunt, in delictis communibus commune forum a militibus agnoscendum esse, nec remitti ad iudicem militarem oportere, per *l. ult. d. accusat. l. 2. & 3. d. re milit. Nov. 8. c. 12.* Alii, remittendos omnino esse, nec militem propter ullum delictum puniri praeterquam a Duce suo aut Magistro posse, propter generalia uerba legis *g. d. custod. et exhib. reor. l. i. C. de off. mag. mil. l. 6. C. d. iurisd. omn. iud. l. i. C. d. transm. reis.* Hos dirimere alii et placare media quadam sententia conantur, si miles delinquens in castris repertus sit, animaduersiōnem iudicis militaris; sin extra castra, ordinarii esse: et rursus alii distinctionem inter leuia delicta et grauiora afferunt. Sed quia nec inter hos conuenit, et illi pertinaciter suae quisque sententiae inhaerent, crescit confusio, et nobis dat spatiū obseruandi, demonstrante I. GOTHOFREDO ad *L. 2. C. Tb. d. exhib. et transm. reis.* mox datam militibus fori praescriptionem, mox admittam, mox redditam esse, capiendo que consilii, satis esse expectari euentum, et in id tantum

prae-

praeparari nos atque instrui, ut quaecunque pars obtinuerit, parati simus ad congregendum cum illa, si nostris militibus audeat idem fori priuilegium denegare, nec tamen iuris mutationem expressam, uel tacitam per mores ac obseruantiam, legitime probatam dare possit, maxime cum de criminibus militaribus, et causis ciuilibus, exceptis matrimonialibus, satis conueniat, ab omni tempore ad nullum aliud, quam militare forum pertinuisse.

§. XXI. Quod ad alterum autem, nobis maxime cum Derefti-
aduersariis res est. Nam et quatenus miles praefens fuit, tutione in
et quatenus absens, non conuenit inter nos, in quantum re- integrum,
stitutione in integrum gaudeat. Nos enim generatim te-
nemus, militem circa omnia fatalia processus, nisi dolo ne-
glecta esse constet, in integrum restituendum esse, nec so-
lum priuilegium opponendi neglectas exceptiones, secun-
dum ea, quae diximus, habere: itemque siue miles praefens
item ipse in iudicio agat, siue absens praefensue per
procuratorem. At Dissentientes contra nituntur, et amplissi-
mum beneficium restitutionis in integrum coarctare omni-
bus modis conantur. Non desunt, qui quod l. i. C. d.iur. et
fact. ignor. de exceptionum allegatione continentur, strictim
accipidendum, nec ad alia processus fatalia ullo modo tra-
hendum contendunt. Alii moderatius procedunt, et resti-
tutionem ad casum restringendam volunt, quando miles ipse
item in iudicio peragat. Quae enim per procuratores ex-
pediantur, uel expediri possint, in iis restitutionem in inte-
grum, nisi forte procurator soluendo non sit, locum non
habere, inferunt ex l. 15. pr. l. 26. §. i. ex quib. caus. mai. At
enim uero replicamus, regulam illam nec aliis exceptionis
bus carere, in iis, qui ex causa necessaria, etiam priuata,
absunt, ut uel ex illis ipsis legibus, j. §. ult. d. l. 26. et l. 40.
§. i. eod. constat, maxime cum regulariter nemo per procu-

ratorem agere teneatur : et multo minus in milites quadrate, qui reipublicae causa, et maxime quidem, absint, nec simpliciter, ut alii maiores 25. annis, sed fere ad exemplum minorum in integrum restituantur, propterea quod aequum non satis idonei ad res ciuiles secundum apices iuris tractandas uideantur ; dum magis arma, quam iura sciunt, l. ult. pr. C. d. iur. delib. ac quidem, quod caput rei est, id indulgenter in tantum et cōprobante legē, ut nulli alii magis nocere non debeat ignorantia iuris, quam militi, quia fauor armorum et caussae publicae concurrit. Sunt et alia extra processum, in quibus militibus restitutio in integrum cōpetit: Sed quia non solis competit, sed aliis communis est, qui reipublicae operam dant, uel aduerso casti laborant, l. i. ex quib. caus. mai. nec sperandum, una dissertatione omnia priuilegia militaria sic vindicari posse, ut nullae pugnae reliquiae supersint : contenti, tantum obtinuisse, quarum propositum erat, ultimo impetu in Dissidentes inuehimur, ut nostris militibus idem beneficium restitutio in integrum, quod Romani habuerint milites, concedant, restituant, relinquent. Illi quasi desperatis rebus, quidquid habent et possunt, regerunt et obiciunt, militiam nostram uoluntariam esse ; Romanam fuisse necessariam, restitutio in integrum dari rerum necessitate impeditis,

Dē reliquo, ad usum Hodie, per tinensib.

l. 16. ex quib. caus. mai. esse tot genera nostrae militiae : dari militiam ordinariam : dari equitum varios ordines, Ioanniticos, Marianos, alios, qui a Regibus atque Principibus creari soleant : dari militiam Provincialem : esse, qui ad militiam destinati sint, et in euentum alantur, nec semper, sed per interualla armis operam dent, ceterum tempus rus colant, et negotia ciuilia tractent: quos horum tandem, aut a quo tempore, uelitis participes fieri Romanorum priuilegorum, aut iure possimus postulare.


postulare? At nos nihil segnius contractis in unum viribus replicamus: militiam hodiernam non semper esse uoluntariam, et quae sit, ab initio uoluntariam esse, postea necessariam, et a militia Romana effectu nihil differre, reique publicae qua uoluntariami, qua necessariam, inservire. Equites distinguendos esse, qui arma tractent, ut Melitenses, et qui honorarii milites sint: pro illis nos pugnare, non pro his. Prouinciales nostros milites, qui continuo in armis sint, cum Romanorum limitaneis, qui limites contra hostium incursiones, l. 2. §. 8. C. d. off. praef. praet. Afric. l. ult. C. d. off. mil. iud. et stationariis, qui quietem urbium et prouinciarum tuebantur, l. 1. §. 12. D. d. off. praef. urb. comparari posse, nec magis, quam illos, a priuilegiis militariis excludi, cum et ipsi teneantur iugiter signis et numeris inhaerere, ut in omnem euentum parati sint, eoque nec possint, nec debeat legum subtilitates discere. Qui autem magis ad militiam destinati, quam milites sint, secundum ea, quae proposita sint, quia Romanis tyronibus comparandi uideantur, eorum caussam nos non agere, sed ipsis relinquere, quomodo uelint et possint aduersum sibi Vlpiandum in l. 42. d. tef. mil. et socios, conciliare. Tempus denique, a quo nostris militibus priuilegia uiridicemus, non aliud esse, quam quod I. Romano constitutum sit, postquam scilicet miles secundum mores nostros ac instituta hodierna iureurando adactus, cinctus, et in numeros relatus sit. Atque hoc uitimo impetu in primis nisi sumus praesidio duorum uirorum, BOCERI et TRENTACINQVII, quorum alter limitaneorum et stationariorum caussam strenue egit, Lib. II. de Belllo et Duello, C. 28. n. 9. et seqq. alter militiam hodiernam solicite distinxit, et in eam sententiam, quam expressimus, fortiter propugnauit, Var. Ref. Lib. II. Ref. 1. n. 49.

Epilogus.

§. XXII. Cognouisti, LECTOR BENEVOLE, quid gerum sit, et attente, quod speramus, omnia obseruaisti. Nos pugnantium et uindicantium labore atque officio quoad potuimus, functi sumus: Tuum est, statuere uictoriam et triumphi modum. Sed tamen, si ex nostra parte res bene gesta est, ouationem deprecamur, quia cum hoste legitimo res fuit, cum maximis uiris, qui sentiendi statuendique ius ac libertatem habent: et si nihil amplius promeriti sumus, sumus supplicatione contenti, pro concessis uiribus ad hoc qualecunque specimen edendum, cui pro instituti ratione nihil restat, quam corona.

S. D. G.







RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
PRINCIPES REGIO, ELECT. ET PROVINCIAVM SAXONI-
CARVM HEREDE, ETC. ETC.

17.

**VINDICIAS
PRIVILEGIORVM
ORDINI MILITARI
EX JVRE ROMANO
COMPETENTIVM,**

SVB PRAESIDIO

IO. HENRICI BERGERI,
SERENISS. AC POTENTISS. REG. POL. AC ELECT. SAX. IN SVMMO
PROVOCAT. SENATV CONSILIARII, ATQVE ORDINARII
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI, ETC.

*PRAECEPTORIS SVI ATQVE PATRONI AETATEM
SVBMSSE COLENDI,*

**PRO LICENTIA
GRADVM DOCTORIS IN VTROQVE
JVRE CAPESSENDI**

PUBLICAE ET SOLEMNI DISCEPTATIONI SVBMITTIT
AVCTOR

IO. GODOFREDVS HARTVNGIVS,
CONSIST. ECCLES. VITEMB. ADVOCATVS.

AD DIEM XXVII. M. MART. A. R. S. MDCC XI.

VITEMBERGAE Prelo KREVSIGIANO.